VITAE CLARISSIMORVM IVRE CONSVLTORVM

AEMILII FERRETTI	IOANNIS CORASII
HVGONIS DONELLI	GVILIELMI MARANI
IANI A COSTA	FRANC. FLORENTIS
IOANNIS DARTIS	IOANNIS FICHARDI
NICOLAI CISNERI	IO. OTTON. TABORIS

EX RECENSIONE ET CVM NOTIS

CHRISTIANI GOTTLIEB BVDERI

IENAE
APVD IO. FELIC. BIELCKIVM.
M. DCC. XXII.

VIRIS

LLVSTRIBVS ET EXCELLENTISSIMIS
AMPLISSIMIS DEQVE IVRE
OMNI CONSVLTISSIMIS

DOMINO

OANNI PETRO A LVDEVVIG

OTENTISSIMO PORVSSIAE REGI A
ONSILIIS SANCTIORIBVS ET REGI
INIS DVCATVS MAGDEBVRGICI IN
VE REGIA FRIDERICIANA IVRIS
ET HISTORIARVM PROFESSO
RI PVBLICO

DOMINO

VRCARDO GOTTHELF
STRUVIO

RENISSIMORVM SAXONIAE DV
M ERNESTINAE PROSAPIAE CON
LIARIO ET HISTORICO SERENIS
MO MARGGRAVIO REGENTI BRAN
NBVRGICO CVLMBACENSI A
ONSILIIS CVRIALIBVS ET IN ACA-
DEMIA SALANA PROFESSORI
IVRIS ET HISTORIARVM
PVBLICO

DOMINO

IOANNI BARBEYRACIO

IN ACADEMIA GRONINGO - OMLANDICA PROFESSORI IVRIS PVBLICI PRIVATIQVE ORDINARIO REGIAEQVE SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS SOCIO.

DOMINO

CASPARI ACHATIO BECKIO

IVRIS IN ACADEMIA IENENSI PROFESSORI PVBLICO COLLEGII SCABINORVM ADSESSORI INQVE CVRIALI PROVINCIARVM SAXONIAE ERNESTINAE IVDICIO CAVSARVM ORATORI

DOMINIS PRAECEPTORIBVS ATQVE PATRONIS MEIS PERSANCTE OBSERVANTISSIMEQVE COLENDIS

FELICITATEM

obſequioſo cultu precatur

CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER.

VOBIS Summi Celeberrimique VIRI, qui numinis gratia in illuſtri loco poſiti, viui ſpiranteſque eſtis exemplo, VITAS demiſſe offerro IVRISCONSVLTORVM, quorum memoria perennibus viget ingenii monimentis, quoſque communi Germaniae gentiumque vicinarum praeconio, vel ſuperaſtis virtute, doctrina, meritis, vel exprimitis. Fuit haec prima princepſque cauſſa, quae me mouit, vt VESTRIS auſpiciis ederem libellum, qui intuenti-

bus VESTRA decora iuuenibus, se magis commendaret. Cui ex parte mea accessit altera, ardens scilicet illud desiderium referendae publico quodam documento gratiae, quam VESTRIS in me meritis debeo. Quamuis enim ea mihi haut contigerit felicitas, vt TVIS interesse potuerim Scholis per omnem Germaniam celebratis Consummatissime totque titulis & elogiis cumulate DOMINE a LVDEVVIG, patuerunt tamen doctissima TVA

scripta,

ſcripta, quibus omni in Iuris prudentiae parte, Imperiique & Prouinciarum Germanicarum hiſtoria, lumen inſigne excitaſti, cui beneficio, quod cum aliis mihi eſt commune, acceſſit ſingularis illa gratia quum nuper in conſpectum alloquiumque benigne admitteres ac breui illo tempore, quo videre venerabile illud tuum os ac venerari coram licuit, ſaluberrimis inſtrueres monitis. TVA vero illuſtris deque Re publica & literaria immor-

taliter merite STRUVI, Patronorum ſumme, in me beneficia, non capit haec pagina, quae vix animus meus capere poteſt, nec admirabilis illa TVI animi moderatio admittit, maxima tamen & immortalia. TV enim exquiſitiſſimae TVAE eruditionis fama excitatum, TVAEque humanitatis, quam omnes praedicant, fiducia fretum, Lipſia diſcedentem ea indulgentia, quae TIBI TVAEque illuſtri Genti propria eſt, excepiſti, ac per integrum iam ſeptennium &

quod

quod excurrit, omnibus quae a PA-
TRONO Indulgentiſſimo proficiſci
vnquam poſſunt propenſiſſimae
voluntatis teſtimoniis, perbenigne
cumulaſti. A TVIS ab omni fuco
ventoſaque iactantia alienis, ſed
grauibus ſolidiſſimisque doctrinis,
omnem, quem ingenii tenuitas
mei admiſit cultum, accepi; TVAE
libris rariſſimis praeſtantiſſimisque
inſtructiſſimae Bibliothecae, TVIS-
que Scriptis quibus hodie mul-
tos eruditos reddis, quaeque aeta-

tem ferunt, prudentissimisque monitis debetur illud, quod paucis illis leuidensibusque meis scriptiunculis inest boni; TVAEque indulgentiae post immortalis DEI prouidentiam, quae TE mihi Amplificatorem excitauit, omnem Fortunam Academicam secuturamque, si diuinae bonitati placuerit, cum aliis multis, quos tuendos ornandosque suscepisti, libentissime adscribo. Ad TVAM celebratissime BARBEYRACI praedicandam hoc

loco

loco ſummam humanitatem ſingulares habeo rationes. Mitto iam cultiſſima accuratiſſimaque eruditione plena TVI monimenta ingenii, quae non academici modo homines, ſed ſummi bello paceque adminiſtri in manibus oculiſque ferunt, quorumque pars mihi tenui quoque fructuoſa fuit; rara illa tua facilitas me audacem fecit, qua non ſolum meas ignoti hominis literas, gratioſe ſuſcepiſti, ſed altero ſtatim die humaniſſime reſpondiſti, im-

meren-

merentem me plane laudatione TVA non indignum iudicasti, vel potius qualis esse debeam eadem docuisti, quodque beneuolentiae caput est, elegantissimam illam TVAM de Methodo Iuridici Studii Orationem, cuius cum aliis bonae frugis Opusculis editionem iteratam in vsum Iuris Studiosorum paro, perliberaliter transmittendam curasti, TIBIque Summe VIR, me arctissimo cultus vinculo obligasti.

Tu

Tu vero Excellentiſſime BECKI aliquam libelli huius partem TVO iure a me depoſcis, qui perraram de vita Guilielmi Marani narrationem, e Bibliotheca Tua ſelecta libriſque rarioribus, ad elegantiorem Iuris prudentiam pertinentibus, egregie inſtructa, quam Soceri TVI illuſtris Sleuogtii exemplo inſigniter ornas, non ſolum beneuole conceſſiſti, ſed de adornando quoque opuſculo ſalutaribus monitis

instruxisti, summaque semper humanitate quam, doctrinasque Tuas elegantissimas saluberrimasque, nostra praedicat Salana bonique omnes, inuisentem me excepisti, deque constituendis vitae rationibus fide prudenterque submonuisti. Suscipite itaque IVRISCONSVLTI, his, quos hoc libello iuuenibus imitandos propono, superiores & pares, tenue hoc Opusculum ea fronte, qua collectorem vsque huc

beastis,

beaſtis, Veſtraque auctoritate & patrocinio defendite. Benigniſſimum Numen, quod magnos Viros excitat & florentes ſeruat, vos Illuſtres, Ampliſſimique VIRI, Aulis, quae grauiſſimas cauſſas VOBIS ex parte committunt, Academiiſque omnes, quibus immortale decus & ornamentum conciliaſtis, Orbique literato, qui Nominibus Veſtris adſurgit, omni fortunarum genere adfluentes conſeruet. Ita

Valete

Valete Summi Celeberrimique Viri. Ienae, in aedibus Struuianis ad d. IV. Octobris, Francisco sacratum. A. R. G. M. DCC. XXI.

PRAE-

PRAEFATIO

Quam promisit elegantioris doctrinae Iureconsultus IACOBVS FRIDERICVS LEICKHER *continuationem vtilissimi Syntagmatis Decem Narrationum de vita rebusque exquisitissimorum Iurisconsultorum, a doctissimis hominibus diligenter accurateque scriptarum, singillatimque vel editarum, vel operibus scriptisque, saepius rarioribus, praemissarum, eam* TIBI *iam* LECTOR *Benigne Eruditeque, data obseruantiae significatione, exhibeo. Optarunt subinde fructuosam hanc cumprimis studiosis iuuenibus, qui exemplis magis quam praeceptis incitantur, operam, sapientes eruditissimique Viri, spem inde aliquam elegantissima Praefatione* PANZIROLO *de Claris Iuris Interpretibus praemissa, fecit incliti nominis multorumque iam*

 meri-

meritorum ICtus Lipsiensis CHRISTIANVS GODOFREDVS HOFFMANNVS, *Patronus meus summopere colendus, a me tamen perofficiose interpellatus, grauioribusque occupationibus impeditus, hanc mihi curam lubens & beneuole reliquit. De vtilitate huius instituti deque vberrimo fructu, quem e Vitis eruditorum illustriumque virorum solerter scriptis, percipimus, non a me expectas heic parum necessariam taediosamque expositionem, quam post* MORHOFIVM * STRVVIVM*que* ** *optimos grauissimosque iudices, celeberrimus accuratique iudicii Vir* GOTTLIEB STOLLIVS *ciuilis doctrinae apud nos doctor publicus, Patronus singulariter obseruandus, neruose*

* *Polyhistoris Tom. I. L. I. c. XIX. §. 1. seqq.*
** *Introductione ad Rem Literariam Cap. VII.*

uose sapienterque dedit. * *De meo ergo conatu paucissima praefabor* TIBIque LECTOR BENIGNE *renunciandum duco, me in colligendis illustrandisque Narrationibus hisce, quantum pro virium mearum imbecillitate licuit, vestigia Leickheriana pressisse. Quo animo, sollicito studio eas Iurisconsultorum selectas Vitas exquisiui, de quibus edendis spem fecit laudatus iam* LEICKHERVS *sub finem suae Collectionis. Galli sunt hi, numero quinque, quibus socios feci* IOANNEM CORASIVM, *alterum* IOANNEM DARTISIVM *omnes Seculis XVI. & XVII. celebres, cultissimaeque eruditionis, qui, cum ciuilem, tum canonicam Iuris prudentiam e lateritia auream fecere, quo-*

* *Introductione ad Historiam Eruditionis, Liberalium Artium & Philosophiae* cultissima, *Parte I. §. LXII. seqq. p. 61.*

rumque ingenii monimenta in nostris oris ex parte perrara, multis lumen praeferunt. His e communi nostra Patria Germania adiunxi Tres doctrina meritisque in Rem publicam & ciuilem & literariam illustres, qui inquirenti mihi sese primum obtulere, pares tamen his & superiores etiam, si id quidem libello destinatae plagulae permisissent adiungere comites perfacile fuisset. Harum auctores Narrationum, plerique sunt doctissimi VIRI, *auditores, vel intimioris admissionis amici horum, de quorum vita rebusque exposuerunt, inde & factum, vt amoris vi ducti, vel nimii quandoque sint in commemorandis laudibus, parci contra in indicandis naeuis prauisque animi inclinationibus, quibus & spectatae virtutis homines subinde abripiuntur. Qua*

propter

propter omnem nauaui operam, vt quae, vel de animi vitiositate omissa ab auditoribus & amicis, vel eorumdem narrationibus contraria, vel praetermissa plane, adderem. Inde natae sunt subiectae notulae, omnes subitaneae, in quibus colligendis discessi consulto a Leickberiana ratione, qui subinde erudita quidem & vtilia attulit, neque tamen ad Vitae res facientia. Seriem scriptorum, quibus posteritati commendata est eruditio illustrium horum Iurisconsultorum, quantum heic loci fieri potuit, texui accuratum, plurima non in manibus oculisque solum habui, sed & curate euolui, quaedam etiam studiose legi, quorum autem copia nulla ratione haberi potuit, doctissimorum virorum fidem secutus, annotaui. Quo loco iure & merito extollo illustris Viri BVRCARDI GOTTHELFFII STRVVII

 Pa-

Patroni Indulgentissimi benignitatem, publiceque praedico Amplissimi Eruditissimique Viri BARTHOLOMAEI CHRISTIANI RICHARDI *Serenissimis Saxoniae Ducibus a Bibliotheca, Fautoris multis nominibus honorandi singularem plane humanitatem, quorum prior instructissimae Bibliothecae liberrimum vsum perbenigne concessit, alter ad Publicae Academicae armaria beneuole liberaliterque admisit. In digerendis Narrationibus annorum qui emortuales summis Viris fuere, ordinem sum secutus, Gallis tamen primum concessi locum, cum subinde se exceperint. Fructus autem huius Collectionis, iuuenibus Studiosis, quorum potissimum caussa est a me suscepta, erit, vt* Vitas, *verbis vtor* HELENI RIBITTI *in Vita* AEMYLII FERRETTI, horum Virorum tanquam SPECVLVM ob oculos sibi statuant

tuant, qui eo contendunt, quo isti peruenere. *Quod omnibus & singulis, qui haec legunt, religiosissimis votis* DEO *omnis sapientiae auctori nuncupatis, persancte apprecor, conatusque meos commendo, vtque erroribus dent veniam obnixe rogito. Quod si a Tua Lector indulgentia impetrauero, dabo operam, vt altera Decas eodem habitu videat lucem, qua Vitas:* ANDREAE ALCIATI *Scriptore* CLAVDIO MINOE; CAROLI MOLINAEI *per* IVLIVM BRODEAV; PETRI AERODII *auctore* AEGIDIO MENAGIO; EDMVNDI MERILLII, *ab ipso conditam, aliasque, quas, si in tuis sint bibliothecis & manibus, boni publici caussa perofficiose mihi expeto, Tibi illustratas restituam. Vale* LECTOR *Benigne ac Erudite meisque studiis faue. Ienae ad IV. Octobris A. R. G. M. DCC. XXI.*

SERIES VITARUM
addito emortuali Anno.

GALLI

GERMANI

VITA

VITA AEMYLII FERRETTI ab HELENO RIBITTO eius Auditore scripta.

CLARISSIMO VIRO

CATHARINO POBELLO

Geneuiani Comitatus, ac eius ditioni subditarum Prouinciarum Praesidi aequissimo Helenus Ribittus.

S.

DOtes Tuas insignes, eruditionis, aequitatis & iustitiae, in qua συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι, *fama sic inuexit in orbem, amplissime aequissimeque Praeses, ut ea ego excitatus atque incensus, vehementer mihi occasionem ansamque optarim dari, qua meam in te obseruantiam, & laudum admirationem, testari apud te liceret. Est enim admirabilis quaedam nominis Tui, & magnitudinis animi in Iure dicundo celebritas: ut merito nostrates, te potissimum delectum esse, qui principis vices in communi patria geras, sibi illo versu gratulari debeant:* δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς, μετὰ χάρας κτυπήσατε. *At captata occasio sese, vnde minime vellem, insperato, magno*

 etiam

etiam cum meo priuato incommodo obtulit: nempe e tristi atque acerbo casu, quem exstincto clarissimo Antecessore, AEMYLIO FERRETTO, colendae perpetuo memoriae Praeceptore, haec Academia pertulit. Cuius fato, quantam iacturam, non hoc Gymnasium solum, sed etiam vniuersa ciuilis sapientia, atque adeo cuncta res literaria fecerit, vix cogitari, nedum verbis exprimi posse arbitror. Huius Viri Vitam *auctoritate grauium virorum & discipuli officio impulsus, non descripsi quidem, vt res postulabat, (artifice enim Aemylio ad id opus erat) sed paucis breuique, vt angustia temporis passa est, adumbraui, ac velut delineaui: ita tamen, vt intelligi possit, quo nos viri, omni laude cumulatissimi, virtutis exempla, & exhausti labores inuitent. Rem non expoliui, impolitus ipse, vtpote qui nullum politum auctorem toto iam quadriennio, praeter Iurisconsultos attigi: neque tamen si potuissem, voluissem. Rem enim sine pigmentis fucoque proponere volui. Qui autem, aut scribunt aliquid, aut e lingua in linguam vertunt, solent id, vel principi cuipiam, vel eximio principique proximo viro inscribere: idque, vt aut aduersus momorum venenatos morsus praesidium, aut vt beneuolentiam fauoremque sibi captent atque concilient. Ego vero abs Te veniam mihi petendam reor: quod Te fortasse imprudenter, ne dicam impudenter offenderim, qui non sim veritus, hoc tam exiguum sub Tuo nomine in lucem edere. In qua re tamen hanc rationem sum sequutus, quo de eminentissimo Viro scriptum, eminentissi-*

nentissimi Viri Praesidio texisse videor: quo tutius in manus hominum prodiret. Accipies igitur Iustitiae Antistes integerrime, laeta alacrique fronte, hoc qualecunque animi Tibi deditissimi testimonium ac pignus. Quod si te non adspernatum sensero, eriges augebisque ingenium, vt Tibi dante Deo, maius aliquid, & Tua amplitudine dignius procudat atque exhibeat. Te ergo pro Tua summa humanitate vehementer etiam atque etiam, vt hoc boni consulas, rogo. Vale, Auenioni *1552. mense Nouembri.*

QVi res gestas literarum monimentis tradiderunt, praeclare ac diuinitus de vniuerso hominum genere meriti sunt. Supellectilem enim copiosam ad instruendos mores, & quoddam quasi speculum humanitatis posteris suppeditarunt: quod intueri quisque, & inde ea capere atque haurire documenta queat, quibus instructus, vel publicae, vel priuatae rei consulat. Hoc enim potissimum salubre & frugiferum mortalibus adfert, grauiter & prudenter magistra vitae appellata rerum cognitio. Nobis etenim consilia, moresque omnium seculorum gestorumque euentus & causas ob oculos ponit. Accendunt vel maxime, augentque animos ad virtutem exempla eorum, quae propter recte actam vitam laudibus in coelum feruntur, deterrent ac retundunt a turpibus, quorum nomen propter fla-

gitiose transactam vitam omnibus seculis inuisum & exsecrabile est. Themistocles e somno se excitari Miltiadis trophaeis profitebatur. Nos autem noster Miltiades, AEMYLIVS FERRETTVS, in alio quidem sed longe vtiliore vitae genere, suis multo perennioribus trophaeis ad aemulationem & studia virtutis, vehementius multo profecto excitare debet: quo viuo, quia iam frui non possumus, mortui memoriae id saltem tribuamus, ne iure ingrati videri possimus. Non quod illi quicquam claritatis & nominis afferre queamus, qui ingenii monimentis clarissimus ac celeberrimus est, sed ad viam ad summa, per summi viri vestigia ingressuris, ostendamus. Quam breuissime igitur potero, nullo splendore, verborum adhibito, nec vllum florem orationis sequutus, clarissimi Viri ortum, gentem, vitaeque cursum perstringam. Ad quod suscipiendum me sua auctoritate, & suo iure impulit Dominus *Alziarius Cadanettus*, Pontificii Iuris Professor Ordinarius, Antecessor certe & eruditione & humanitate singulari: qui propter eximias, rarasque animi dotes Aemylio intimus ac familiarissimus fuit. Testantur pleraque Responsa ab vtroque simul signata: Testantur Epistolae ad hunc ab Aemylio scriptae: qui vtinam, vel ipse (quod longe facilius, & pro rei dignitate commodius exsequutus fuisset)

ſet) hoc munus ſuſcepiſſet: vel alii felicio-re ingenio & maiore dicendi facultate prae-dito commiſiſſet. Ego ſane niſi huic, cui nihil negare propter ſumma eius in me be-neficia poſſum (eo enim non praeceptore tantum, ſed tanquam altero parente vtor) & optimi & eruditiſſimi Praeceptoris Aemy-lii memoriae omnia deberem, nunquam hoc onus, cui me imparem ſentio in humeros admiſiſſem. At iam tandem ad rem perue-niamus, ne ſit ſarcinula thylaco maior. AEMYLIVS igitur FERRETTVS, natio-ne Italus, patria Hetruſcus, natus eſt Anno M CCCC LXXXIX. Nouembris XIV. die, patre *Marco Ferretto*, Iuriſconſulto, loco cui nomen *Caſtro Franco*, * quod abeſt a Flo-rentia millia paſſuum viginti quinque, a Lu-ca (in cuius Dioeceſi is locus eſt) quinde-cim millia, totidem a Piſana Ciuitate. *Fer-*

* Errauit ergo poſt MARCVM MANTVAM *Epitome Virorum Illuſtrium*, *Edit. Lipſ. p. 441.* dupliciter IOANNES ANDREAS QVENSTEDT Theologus Vitembergenſis, *Dialogo de Patriis illuſtrium doctrina & ſcriptis virorum p. 349.* qui & *Perottum* eum inſimul dictum aſſeuerat, & *Anconam* patriam adſignat. Similem, quod *Perrotti* cognomen adtinet, FRANCISCI GRAVEROLI errorem, aliumque ALLARDI de patria noſtri, iam notauit eruditiſſimus BAYLIVS *Dictionario* hoc *Nomine*.

rettorum Familia peruetuſta ac nobilis originem duxit a celeberrima ciuitate *Rauenna,* * ſic enim accepi ex litteris *Ioannis Petri Ferretti,* Myletenſis Epiſcopi, quarum verba, quia typis excudentur, adſcribenda non putaui. ** Hic primus ex maſculis patri natus eſt, apud quem tanta cura educatus, quanta decebat maximae ſpei puerum, omnibus liberalibus diſciplinis accuratiſſime inſtitutus, excultusque apud parentem fuit, idque ad *duodecimum annum,* quo expleto, ido-

* Legit ſine dubio hanc RIBITTI Narrationem GVIDVS PANZIROLVS *de Claris Legum Interpretibus Lib. II. c. CLXVII. p. 276.* Edit. Lipſ. cuncta vitae momenta ſummatim proponens, nec nominato tamen RIBITTO, quem & ſecutus plene BAYLIVS, non viſa hac, quam proponimus, Narratione. Excerpendi autem PANZIROLI otium mihi fecit ICtus elegantiſſimae doctrinae CHRISTIANVS GOTHOFREDVS HOFFMANNVS, Fautor meus cum cura obſeruandus, qui nitido habitu *Panzirolum* in omnium qui his delicijs capiuntur, manus, reduxit. Breuem quoque Narrationem ſuis de *ortu & Progreſſu Iuris Ciuilis* Libris inſeruit IANVS VINCENTIVS GRAVINA *p. 123. Oper. Edit. Lipſ.*

** Quae Epiſtola cum *Ferrettianis* aliis, magno quidem ſtudio, ſed fruſtra a me eſt perquiſita, vt adeo fere de earundem impreſſione dubitem.

idoneus visus est, ad maiores disciplinas capessendas: tantum enim ea aetate ingenii cultum ceperat, vt summam spem parenti de se daret, se talem tantumque aliquando futurum, quantum eum, & cognouimus & ereptum lugemus. Hac spe de eo concepta, vt filius idem vitae institutum sequeretur, quod pater, *Pisas* ad Iurisprudentiam discendam mittitur, vbi tum magna celebritate PHILIPPVS DECIVS Ius profitebatur, cui tamen nullam fere operam dedit Aemylius, sed alterum nactus CAMILLVM PETRVCIVM, virum dotibus omnibus cumulatissimum atque absolutissimum, vt saepe numero ab Aemylio, tum priuatim, tum publice accepimus. CROTVM triennio in Pontificio Iure audiuit. Tantos vero progressus sub iis viris in vastissima Iurisprudentia breui fecit, vt postea apertissime ostenderit, se neque torpenti otio, neque amoribus (vt plerique solent,) ceterisque inhonestis voluptatibus indulsisse. Exacto *Pisis* satis amplo spatio in *Senensem* Academiam * se contulit, eadem enim rerum fa-

 cies

* Dolet tamen ipse noster AEMYLIVS peruersam ibi tum docentium Methodum, *Epistola Notis ad Institutiones* praemissa ad ANTONIVM GOVEANVM, qua eidem ingrediendi rectam solidamque Ciuilis sapientiae viam auctor est ho-

cies plerisque (praesertim magnis ingeniis, cuiusmodi hic praeditus fuit) & molesta, & odiosa, atque adeo etiam noxia est. In *Senensi* itaque Gymnasio, biennium prope transegit, sui ingenii & eruditionis non vulgaris, specimen non raro exhibuit. Illinc autem *Romam* est profectus, iamque sua & virtute & eruditione notissimus, Cardinali *Saluiato a Secretis* fuit, apud quem tanti erat, tanta admiratione virtutis & doctrinae, vt aegrotum & coelum mutare cupientem, vt valetudini consuleret, vix sit a se discedere passus, donec & a Medicis admonitus, & necessitate coactus, ne amor noceret, cui prodesse cupiebat, hominem dimisit. Relicto igitur Romano coelo, quod illi graue & insalubre erat, domum rediit, aestatem apud suos transmisit. Exacta aestate & appetente iam hyeme, quo coelum purius, salubriusque fieri solet, *Romam* cum patre reuersus

rum docendi rationem damnans, qui omissis facilioribus, audientibus difficiliora statim proponunt: *Id quod, mihi* Senis *olim contigit, cui puero & ignaro penitus rerum nostrarum propositus ingredienti Scholas Tractatus fuit de Vsucapionibus: vbi cum de aequitate ciuili, de vi temporis, de possessione legitima & naturali, quotidie verba fierent: ego quicquid illud erat ne suspicione quidem ac coniectura assequi vllo pacto poteram.*

uersus est: vbi ex vniuersa fere Iuris materia *Pronuntiata* proposuit, ac coram amplissimo Purpuratorum patrum coetu & Episcoporum, acutissime & disertissime propugnauit. Quare peracta ingenti cum admiratione omnium qui aderant, in *Doctorum* album & ordinem relatus & cooptatus est, aetatis agens annum decimum nonum, qua aetate fere soliti sunt Romani adolescentes, praetexta deposita, virilem togam sumere. Nec id praetereundum arbitror, simul cum titulo honoris, auctum quoque *Cognomine* fuisse. Cum enim antea tantum *Dominicus* vocatus fuisset, coepit tum *Dominicus Aemylius* appellari. Porro autem *Aemylii* appellationem illi additam ferunt ob oris rotunditatem & facundiam admirabilem. Enimuero *αἱμύλιος στωμύλον*, hoc est, facundum, & ore rotundo hominem, Graecis significat. Ornatus vero Doctoris nomine & insignibus in tanta vrbe, tanto hominum amplissimorum conuentu, ciuitatem vniuersam, fama sui nominis impleuerat. Quam ob rem *Romani* hac fama impulsi, hominem *ad profitendum Ius Ciuile*, honesto honorario inuitant, quo tempore, praeter cetera, celebrem Titulum illum, *de rebus creditis, si certum petatur*, interpretatus est, cuius rei fidem faciunt, dictatorum quaedam Fragmenta*, ex eo tunc Romae excepta &

 casu

* Quae dictata ad hunc titulum, an eadem

casu quodam inuenta, quae nunc excusa in manus hominum prodibunt. Tanta vero Viri fama ferebatur, vt *Leo X. Pontifex Maximus* non conquieuerit, donec *Aemylium* sibi a secretis adsciuerit, quo munere aliquot annis functus, eoque sponte relicto, iterum ad suos reuertitur, apud quos biennio fere versatus est: non quidem otio, aut voluptatibus deditus, sed perpetuo studio, tum legum, tum variorum argumentorum declamationibus, imitatus veteres illos, qui fictis thematibus ad futura & seria certamina se parabant, muniebantque. Quibus se tam instructum promtumque effecit, vt nihil illi facilius esset, quam Latine ex tempore disertissime & copiosissime de quacunque proposita re dicere. Meditabatur autem Vir ad summa natus certamina, quae postea summa cum laude, & obiit, & vicit. At fortuna, vel rerum vicissitudo, nihil ex omni parte diu beatum patitur. Itaque eo fere tempore insignem calamitatem & graue vulnus, Ferrettorum Familiae inflixit. Orta enim seditio aduersus illam Domum, idque

sint cum pauculis his, quae p. 90. seq. *Operum* FERRETTI, *Editionis Francofurtensis* de a. 1598. comparent, definire non possum, quum vetustiores Opusculorum *Ferrettianorum*, Editiones, studiose licet a me exquisitae, non venerint in manus.

que eo tempore, cum Bacchanalia hominibus, nedum Christianis prorsus indigna agitantur, *Marcum* Aemylii patrem oppressit. Qua clade adeo perculsus pius filius est, vt non multos dies in scelerato, & quem vatiniano postea odio persecutus est loco, moratus sit. Itaque relicto natali quidem, sed inuiso solo, *Tridinum* cum *Carolo* fratre venit. Id oppidum est apud Insubres a Taurino millia passuum viginti quinque distans: ibi annos quatuor versatus, in Rei publicae administratione non infimus, *Vxorem* ex splendida familia duxit, ex qua *Liberos* sustulit masculos sex, filiam vnam. Tum *Marchio Saluciarum*, fama nominis Ferretti motus, hominem propositis praemiis ad se pertraxit, cui gratissimus, & magno vsui in plerisque grauissimis negotiis fuit, cuius cum eximias dotes perspexisset, nunquam a se dimittendum putabat. Is autem Marchio tum partem exercitus Gallorum Regis cum Lautreco ducebat. In ea expeditione Romam primum, ac inde Neapolim, secum Aemylium duxit. Verum cum infeliciter res cessisset, fuso caesoque exercitu, Aemylius ad suos properans ab Hispanis non procul a Mediolano captus est, apud quos menses quatuor cum egisset, cura *Caroli* fratris, datis sexcentis aureis liberatus est. Sibi igitur libertatique redditus, quando omnia in Italia aduersari viderentur, ita ducenti-

centibus fatis, in Galliam contendit, primumque Principi Viro *Rhemorum Episcopo* insinuatus fuit, a quo humanissime exceptus & habitus est. Quanti autem hunc fecerit Episcopus, testes sunt innumerae eius prope ad Ferrettum Epistolae. Apud hunc, quamuis illi gratissimus esset, nequaquam diu latere, neque haerere potuit: sed suo lumine proditus, a *Valentinis*, ad profitendum Ius Ciuile, honorario proposito vocatus est, vbi eruditissime & facundissime interpretatus est. Inter alia argumenta, quae tunc suis proposuit, ab eo ipso audiuimus interpretatum fuisse Titulum: *de Constitutionibus Principum*: item: *de Edendo* *, cuius dictata magno studio perquiruntur, vt vtilitati publicae profutura prodeant. Tanta enim omnium admiratione profitebatur, vt fama nominis, ad *Franciscum* Gallorum Regem, omnium Regum, qui vnquam vixerunt, literarum & literatorum amantissimum & beneficentissimum peruenerit. Quem statim accersiri iubet, cognitis perspectisque mox viri eximii dotibus, eum in ordinem Senatorum centumuiralis Curiae Parisiensis honorificentissime cooptari

* Tales Praelectiones in Tit. C. de Mandatis Princip. & Tit. C. de Edendo, extant Edit. Operum Francofurt. post p. 880. p. 1. & finitae sunt A. 1531. d. 13. Maii.

ptari imperat. * Quanto autem in pretio apud ſummum Principem fuerit, indicant tam crebrae Legationes, quas ille maxima laude obiuit, idque de grauisſimis negotiis. Non enim credibile eſt, apud *Venetos* fuiſſe ob rem parui momenti (vt ceteras omittam) quam obibat anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, quod demonſtrant Regis ad eum Literae Auenione in caſtris datae. Itaque cum huic rei aptisſimus videretur, non ita diu in Senatu verſatus eſt, quin ad *Florentinos* de quibusdam rebus Legatus mitteretur. Qua legatione perfecta ad munus Senatorium rediit. Sed nec tunc licuit diu quieſcere **, nam *Marchio Saluciarum*, cui

* Quod PANZIROLVS p. 277. A. MDXXXVI. contigiſſe ſcribit, quem tamen ideo notat PETRVS BAYLIVS *Dictionario* hoc Nomine Not. (D) quum Expeditio Caroli V. Tunetana in Annum MDXXXV. incidat.

** Hanc vitae Periodum ipſe FERRETTVS, *Epiſtola ad* ANTONIVM GOVEANVM Lugduni Calendis Maiis, absque anni mentione, data, Operibusque iunctim editis praemiſſa, enarrat his verbis: *Agitur octauus annus plus minus, ex quo poſtulatu quorundam iuſſuque Regis in Hiſpanias profectus ſum, de certis rebus ad Caeſarem: neque vnquam poſtea, ad multum temporis alicubi ſum diu commoratus. Primum enim in Africam traieci, deinde manſi in Italia menſes*

cui iam pridem nota viri virtus erat, impetrat a Rege, vt Aemylii opera ſibi in re grauisſima vti liceat. Datis igitur a Rege literis, (quae typis excudentur) & ad Senatores, vt Aemylio abeundi poteſtatem faciant, &

aliquot, & in Aulam poſtremo redii: tantummodo agitans animo, quemadmodum conſequerer, vt mihi liceret Lutetiae in Senatu conſiſtere, quo fueram iam diu cooptatus. Verum cum intelligerem, ſemel viam rerum publicarum ingreſſo, aliud ex alio naſci negotium, & in tam magna dignitate ſub pudenda paupertate laborarem, ſponte me magiſtratu abdicaui, quo frui non dabatur: temporibus etiam parum fretus bonis artibus inimiciſſimis, quae nihil quenquam, praeſertim alienum hominem, aſſequi paſſura videbantur ſine ſummo labore ac periculo: tantiſper autem ſum ſecutus Aulam, quantum eſſe ſatis putaui ad iudicandum, an Regi vſui eſſe poſſet opera induſtriaque mea. Itaque cum a Conuentu Niceno, rediret Rex in interiorem Galliam, vacuus DEI beneficio grauiſſimis curis, & quietem diuturnam agitans (vt videbatur animo) ſubſtiti equidem Lugduni ea mente, vt quod ſuperſuturum erat vitae, niſi alio occaſiones & momenta rerum aut auocarent, aut raperent, in otio ſtudiisque meis ciuilibus tranſigerem, emendaturus vel qui olim minori natu exciderant Commentarii variarum rerum: vel quos multo antea inceperam in Digeſtorum L. libros.

& ad Aemylium, vt prouinciam, remque Marchionis suscipiat. Quibus opus fuit a Marchione instructus, in Hispaniam ad Caesarem, vt cum eo de Marchionis negotio ageret, est profectus. Quanta vero cura, diligentia, industria, & facundia, cum admiratione, tum Caesaris, tum Principum, caussam egerit, testabuntur, quae ab eo in ea legatione scripta fuerunt, nisi perfidia eorum, qui illi summam fidem debent, occultentur. At quia negotium grauissimum agebatur, breui confici non potuit. Caesar tum Expeditionem Africanam parauerat iamque instructo exercitu, recta *Carthaginem* passis velis contendebat. Quam ob rem *Aemylius* Imperatoris comitatum secutus, in Africam traiecit: * quod & ipse in ea Epistola, quam Notis suis in Institutiones praefixit, aperte ostendit. Ex Africa reuersus in Galliam, non diu in Senatu sedit, quin *Florentiam* legatus a Rege iterum missus fuerit, quam Caesaris exercitus Duce Auraicensi Principe obsidebat. In ea legatione annum prope moratus, composita, inter

* IOANNES ETROPIVS, *Diario Expeditionis Tunetanae* apud SCHARDIVM *Tom. II. Rerum Ger. p. 322. Legationibus* GALLIAE *Britanniae, Allobrogum, Venetorum, Medialonensium, Ferrariae, aliarumque Nationum de Nauigiis vt Caes. Mai. comitarentur, prospectum erat.*

ter Imperatorem & Florentinos controuersia, in Galliam ad suum munus regressus est. In quo tamen nec tunc multos annos est versatus. Nam aulam in *Nicenum Conuentum* secutus est. Eo enim conuenerant tres orbis summi Monarchae, Pontifex Romanus, Imperator & Galliarum Rex. * Quo dissoluto, Rex in Galliam interiorem redit. Aemylius se Parisiensi magistratu sponte abdicat. *Lugduni* fortunarum suarum sedem ponit, vbi reliquum vitae exigere decreuerat. Et quia eius opera Rei publicae summopere necessaria erat, nondum licuit se suis studiis, ** (quod statuebat) addicere. *Duci Florentinorum* graue negotium, & quod ad exemplum pertinebat, subortum est,

---

* De hoc conuentu Paulli III. Caroli V. Imp. & Francisci I. Anno MDXXXVII. Niceae Allobrogum & deinde ad Aquas Mortuas duos inter hos Principes celebrato, agunt praeter multos FRANCISCVS BELCARIVS Episcopus Metensis *Rerum Gallicarum Commentariis Lib. XXII. c. 25. p. 699. seqq.* atque IOANNES SLEIDANVS *de Statu Rel. & Reip. L. XII. p. 331,* sed de praesentia nostri tacent.

** Hoc tamen in otio, licet breui, viuens, precibus ANTONII GOVEANI motus, *Notas in Institutionum Libros* compilauit, vti ex Epistola, qua eidem easdem consecrat, cognosci potest.

eſt, in quo magnopere Aemylii induſtria illi opus erat. Eum igitur Lugduni latentem & ſeſe iam* in muſeum abdentem eruit ad ſeque literis & praemiis vocat. Quantopere autem eum expetiuerit Princeps ille, apparet facile ex codicillis ad Aemylium eo tempore miſſis, quibus illum *Ciuem Florentinum* decreuit, paremque per omnia Florentinis, ciuitate donatum, ſignatis tabulis conſtituit. Profectus autem *Florentiam*, & quae a Duce commiſſa fuerunt, feliciter,, miraque dexteritate, (vt ſolebat) exſecutus, in comitatu Principis, fere annum egit, eo ſalario ex Ducis breuiario donatus, quod eximia viri virtus merebatur. Sed ea conditione, quantumuis ampla & honorifica, diutius vti noluit, alio fatis, & Rei publicae commodis vocantibus. Lugdunum ergo repetit, ibique paucis menſibus moratus, ab *Aueniononenſibus* ad profitendum Ius Ciuile, conſtituto, & ei Lugduni oblato, in ſingulos annos, quingentorum quinquaginta aureorum ſalario, miſſo Legato, accerſitur, idque reuerendiſſimi *Antonii Triuultii* Epiſcopi Tholonenſis, tum Auenionenſis Prolegati, opera. Conditionem homo Rei publicae Chriſtianae amantiſſimus, non inuitus accepit: *Auenionem* itaque venit, Salario ſupra memorato triennio docere * obſtrictus

B

* Prudentiam eius, quam ſub initia muneris

ſtrictus. Verum ſtatim Anno proximo, quoniam & eruditione & omnibus dotibus, quae in mortalem cadere poſſunt, longe maior in dies oſtenderetur, vltro Salarium ei auctum eſt ad octingentos aureos. Anno vero tertio cunctis in admirationem ac pene ſtuporem, ob diuinas Viri virtutes adductis, ad millenarium numerum vſque peruentum eſt, longius etiam progreſſurum, ſi vel tantum ſignificaſſet, ſe amplius cupere, quod antea nemini in ea vrbe datum fuerat. Tanta autem cura, diligentia, induſtria, tantoque acumine Ius ſuis *Quinquennio*, & menſibus aliquot inter-

Profeſſorii Auenionenſis comprobauit, celebrat IVLIVS RONDELINVS Maſſilienſis, Vir doctiſſimus, noſtri auditor, *Praefatione in Libros Dictatorum : Cum primum* ſcribit, *in hanc Ciuitatem venit ad profitendum Ius Ciuile, Scholam inuenit & tenuem, & male inſtitutam & barbaram. Itaque quamuis multa immutauerit, eorum quae ab aliis tradita ſunt : multa interuerterit : tamen ſenſim id faciendum putauit, veritus ne Auditores deterreret, qui hunc praedicabant acutum quidem & doctum eſſe, ſed adeo inuſitate & loqui & ſcribere, vt ſe eum non intelligere profiterentur. Itaque in Titulo de Pactis, quod fuit primum ſuae tractationis argumentum, quaedam diſſimulauit, quaedam incoauit, quae poſtea perfecit in Titulo de Verborum obligationibus.*

terpretatus eſt, vt neminem ne veterum quidem, e quorum monumentis Pandectae conſtant, nedum recentiorum, maiore, ac ne pari quidem aut eloquentia, aut docendi ratione, docere potuiſſe, conſtanter, vere tamen aſſerere auſim. Tanta porro auctoritate apud ſuos auditores valebat, vt ingenti ſilentio, reuerentia, ac etiam incredibili & auida attentione audiretur. Rapiebat enim audientium animos, tum acumine, & interpretandi ſubtilitate, tum diſſerendi copia, docendi peritia, dicendi ſine affectatione, facundia incredibili. Fuit autem hic vir naturae quoddam miraculum, in quem natura vires ſuas effuderat, DEVS Opt. Maximus dona ſua vbertim largaque manu contulerat. Erat enim ingenio perſpicaciſſimo, iudicio acerrimo, lingua diſertiſſima, omnibus artibus libero dignis, inſtructiſſimus: dixiſſes omnis eruditionis promtuarium quoddam locupletiſſimum, ciuilis ſapientiae lumen luculentiſſimum, fontem eloquentiae uberrimum. Quantam vero *Latinae Linguae* peritiam habuerit, eius ſcripta terſiſſima teſtantur. * *Graecae Linguae* non ignarus

* Audi Lector Benigne ipſum FERRETTVM, Epiſtola ad GOVEANVM iam excitata, de vſu Latini ſermonis in Iuris prudentiae cultura egregie diſſerentem: *Scio certo pleroſque, qui*

rus fuit, per omne genus auctorum peruagatus, plerosque emendauit: apparet id ex *Praefatione in Ciceronis Orationes* ad Cardinalem *Saluiatum*. *Historiarum* vero & venerandae antiquitatis quantum tenuerit, non leui coniectura consequi possumus, quod homo in Rei publicae administratione, legationibus & aliis grauissimis studiis

---

in suis formulis consenuerunt, damnaturos hos propter te susceptos labores, vel quia longissime abierim a traditionibus eorum, quibus iam diu fora omnia circumsonant, vel quia turpius esse putant discere, quam deceat, praesertim motos insolentia Latinarum dictionum ac vocum: qui nescio cur rectius esse putent, si omnes vtantur vocibus Accursii, Bartolique, & similium minime profecto malorum ac imperitorum hominum, sed fortasse haud plane instructorum ad id, quod aggressi sunt, quam aut Caii, aut Vlpiani, aut aliorum Iuris prudentium e quorum literis ac monimentis compositi sunt Digestorum Libri, quorum commentariis praeter id, quod vis tributa est legum, Constitutionibus Iustiniani, inesse videas antiquae vestigia puritatis. Fuit enim auctore Fabio, summus circa verborum proprietatem labor Iurisconsultis. Nos vero tantum Latine *loquuti sumus, quantum satis esse putauimus ad intelligendum quid sentiremus, & ad indicandum, res ciuiles non posse non omnino barbare tractari.*

ſtudiis valde occupatus *Obſeruationes* tamen in obſcuriſſimum Auctorem *Cornelium Tacitum* ediderit. In arcana *Philoſophiae* penetrauerat, eius cognitionis & praeceptorum plenus. * *Sacra* certe non oſcitanter legerat, ex hisque tantum hauſerat, quantum homini Chriſtiano, nec ad ſa-

* De his elegantioribus FERRETTI doctrinis Auditor LVDOVICVS MASSA, Epiſtola operibus praefixa: *Synceram enim veram & perfectam Iuris ſcientiam es conſecutus. Quod video paucis contingere: neque tibi cum multis commune. Mihi autem eius rei cauſſam diligenter perquirenti, haec ſola viſa eſt: quod ad Ius ciuile perdiſcendum non ſolum iis tinctus, ſine quibus intelligi non poteſt, ſed etiam perpolitus acceſſiſti. Nam cum in Libris Platonis, reliquorumque Philoſophorum, & Poetarum & Oratorum, tam Graecorum, quam Latinorum primam aetatem feliciter conſumſiſſes, ita perſuaſus ab eorum Academia exſtitiſti, vt exiſtimares, ſummo futuro Iuriſconſulto tantam rerum & verborum cognitionem eſſe neceſſariam, quantam in Auditore Philoſophiae Plato requirebat.* Ergo FERRETTVS exemplo ſuo expreſſit, quae, in his ſtudiis ab aliis requirebat, pereleganti Oratione *de Perfecto Doctore*, in Gymnaſio Auenionenſi recitata, quum deſiderat: *nihil omnino ſit vel reconditarum minimarumque rerum quod hunc noſtrum lateat, apud*

cra docendum vocato, ſatis erat. *Rei Medicae* non imperitus, teſtis eſt ea Epiſtola, quam ſine nomine, Cornelio Celſo, a ſe recognito, praefixit: ad cuius praeſcriptum, viuendi rationem ac ſtylum inſtituerat. *Muſicen* profecto egregie callebat. Ad *Poeticen* non ineptus, niſi ad grauiora ſe contuliſſet. Quantus autem in ſua arena, hoc eſt in Iuris prudentia fuerit, ſuperuacaneum aliquid dicere prorſus iudico, praeſertim cum ex monumentis, quilibet non plane imperitus iudicare poſſit. Orbem vero illum diſciplinarum abſoluiſſe, nemo dubitabit, qui paulo accuratius Scripta eius perlegerit. Fuit praeterea, quod longe omnium vtiliſſimum & ſaluberrimum eſt, viae integerrimae, morum incorruptorum exemplar abſolutum, humanitate inſignis: humaniſſime enim ſe adeuntes excipiebat, * nec temere quiſquam, niſi &

Grammaticos diu deſederit, linguas norit eas, quibus doctrina omnis illuſtrata eſt, in Philoſophia ſit bene exercitatus; Poetas peruolutarit, perfecerit orbem integrum omnium artium, in ſumma, tinctus ſit omnibus his diſciplinis, quibus liberalium hominum ingenia imbui poſſunt.

* Quod magnifice praedicat STEPHANVS BADEREVS, auditor, *Praefatione in Libros Dictatorum*, Operibus iunctim editis, praemiſſa.

si & melior & doctior ab eo discessit. Non enim apud eum de nugis sed de grauissimis rebus disputabatur: idque fere eo praeeunte tanta comitate in colloquiis, in conuictu, ciuilitate, ut nihil addi potuerit. Libero coelo delectabatur: itaque frequenter deambulatum prodibat extra vrbis moenia, nunquam in urbe id faciens. Magni profecto animi vir, sed pacis amantissimus. Si quid enim inter suos auditores controuersiae oriretur, omni conatu satagebat dissidium componere, caussasque rixarum recidere. Quodsi pecuniarum negotium ageretur, potius de suo dependebat, quam pateretur turbari tranquilli-

 tatem,

Itaque cum nobis facilior ad eum, quam vllis aliis pateret accessus, hominem frequenter officioseque salutatum ibamus, cum eo de rebus multis vltro citroque differebamus, de lectione priuata priuatisque studiis nostris tempestiue conferebamus: ille comiter nos auscultabat, & vicissim colloquebatur, de rebus nouis, si quae literis amicorum, ex omnibus fere regionibus ad eum scribere solitorum, perlatae essent, nobis familiariter renunciabat: de rebus iucundis plerumque sermonem faciebat, de seriis fere semper apposite, sapienterque disputabat: ex quarum auditione non solum prudentior, sed etiam melior redibat, quam accesserat, qui eum loquentem audiuerat.

tatem, aut concordiam collidi inter ſuos. Compertum omnino habemus ab eo datos aureos nummos, idque plures ſimul, vt ſtatim contentionem dirimeret. Quam vero in tenuis fortunae homines liberalis fuerit, arbitror equidem monumentis proditum iri. Nec ſane in tenues tantum liberalitatem exercuit, ſed in ipſam quoque Vniuerſitatem & Vrbem non leue eius teſtimonium poſteritati reliquit. Suggeſtum enim perelegantem magno ſumtu & artificio confici curauit: quem hac Inſcriptione, ſupra docentis caput inſigniri iuſſit: *Peritum orno, imperitum dedecoro.* Complurium teſtimonio accepi, nullum in tota Gallia viſi cum hoc conferendum. Ex eo docuit circiter biennium. Maiora ſuae liberalitatis monumenta relinquere cogitabat, turrim nempe prope auditorium extruere parabat, ubi campana ſignum praelectionis datura, collocaretur. Si quid aduerſi cuiquam contigiſſet, nemo mo grauius eo ferebat, nemo promtius opitulabatur: eius rei fidem proximo ante eius mortem anno manifeſte fecit. Falſo enim rumore allato *Iacobum Nauarinum* Iuriſconſultum & Profeſſorem Auenionenſem ordinarium, captum a Barbaris fuiſſe Roma redeuntem, quo Legatus profectus fuerat: Aemylius ſtatim hortatus eſt propinquos, vt maturarent hominem redimere,

re priusquam periret, idque oblatis centum aureis, quos ob ſuum erga illum amorem donabat. Hoc vnum conſtantisſime in animum induxerat, mordicusque ſeruabat, vt nulli noceret, omnibus, quantum fieri poterat, prodeſſet. Inopes autem & deſtitutos ſine vlla omnino oſtentatione ſuſtentabat & fouebat, pietate & religione in DEVM ſingulari, tanta modeſtia, vt, cum omnes ſui Seculi, eruditione facile ſuperaret, Socratem tamen quendam agebat, nihil ſe ſcire ratus: vir temperantiſſimus, cibi & potionis, infra naturale deſiderium, finitus modus: rarisſime enim coenabat: & ſi quando id fieret, parciſſime fiebat: a cibo vero ſi confabulones deeſſent, arreptam lyram pulſabat. Vigiliarum & ſomni diſcriminata certaque tempora ſibi praeſcripſerat: niſi occaſio, aut necesſitas aliud ſuaderet. Studio tantum temporis, quantum ſat erat, dabat. Reliquum vero tacitae cogitationi tribuens, qua ſe plus proficere teſtabatur, quamſi ſe maceraſſet lectitandis & conferrendis quorundam immenſis, & plerumque ineptis e faeceque hauſtis commentariis. Quorum ſimilis euaſiſſet, niſi cogitatione & iudicio, quae ex indigeſta illa farragine hauſerat, ſecreuiſſet ac perpurgaſſet. Quantis autem laboribus, vigiliis, ſudoribus, ac vitae diſcriminibus cum domi,

tum peregre nomen sibi, & partum, & auctum; vix multis verbis exprimi posset. Suos auditores * paterno affectu complectebatur, crebris ac vehementibus, nec minus eruditis adhortationibus ad bonam frugem, & probitatem vocans ab inhonestis δυνῶσι, qua plurimum valebat deterrens: a quibus sic mutuo redamabatur, vt pro viui & mortui honore, non solum facultates, sed etiam sanguinem profundere, si res poscat, sint paratissimi. Dictabat, neminem Iurisconsultum esse posse, nisi & virum bonum. ** Vehementissimi ingenii, ingentisque animi fuit. Plurimum inter pericula consilii, plurimum prudentiae ad res capessendas. Statura mediocri, pulcro, beneque compacto corpore. Vestitu non sordido. Domus optime instituta, ac profecto splendida, longissime enim omnium a sordibus aberat, liberali ac plane regali animo: dignitas oris & totius corporis ei non vulgaris inerat: incessus alacri

* Quos in Recitationibus *Fratres* appellare solebat.

* Has suas de Iurisconsulti dotibus cogitationes, Oratione de *Perfecto Doctore*, in Gymnasio Auenionensi recitata, expressit, quae sub finem Operum Edit. Francof. comparet, & sane plena bonae est frugis, legique meretur.

cri celeritate temperatus. Prolixior fuero, ſi vel carptim tantum incomparabilis viri dotes perſequi velim. Hoc vnum addam citra vllius offenſionem iuſtam, orbem Chriſtianum a Pandectarum temporibus non ſuperiorem, ſed nec parem, quidem habuiſſe, an autem habiturus ſit, (quod vix mihi perſuadeo) nec ſcio, nec ſperare auſim. Vnus autem mihi occurrit, ALCIATVS, quem cum hoc conferam & aequem. Magnus ille profecto & ſuis cenſendus dotibus, quem alterum Iuriſprutentiae lumen & inſtauratorem lubens & agnoſco, & profiteor. Vere enim hos duos, duo ſuorum temporum lumina, dicere mihi videor. * Vtroque illuſtrata quidem *AVE-*

* Conſentit in laudes praeceptoris & hic & ſupra p. 19. recitatas excitatus iam IVLIVS RONDELINVS, pereleganti illa Praefatione *Libris Dictatorum*, ſiue *Praelectionibus in π. Ferretti* praemiſſa, qua viciſſitudines Iuris Romani exponit, hiſce verbis: *Noſtra vero aetas, poſt Iuſtinianum omnium feliciſſima, duos tulit, quibus nec voluntas, nec facultas reſtaurandae Iuris prudentiae defuit,* AEMYLIVM *ſcilicet* FERRETTVM, *&* ANDREAM ALCIATVM: *a quibus magis recreata haec noſtra ſtudia, quam ab aliis affecta fuerint, iudico. Hi principali ſtudio* Iuris prudentiae *incubuerunt: ex* ingenuis *tamen* Artibus *nullam praetermiſe-*

AVENIO fuit, sed altero vix dum emergente,

---

runt : rerum causas cognouerunt , Dialecticae *subtilitatem* , Philosophiae *vtilitatem, cum hac disciplina coniunxerunt : multa viderunt : multa auribus acceperunt : multa animo & cogitatione percurrerunt : vt nouum non sit, si ex multa eruditione, ex pluribus artibus, ex longo vsu, & experientia, varia lectione, admirabilis quaedam prudentia in eis exuberet : quam omnes in Iureconsulto desiderant. Hi sunt, (si verum agnoscimus, & sine liuore iudicamus) locupletes & beati, qui non eo solum teguntur tecto, quod ventos imbresque arceat : sed quod visum etiam oculosque delectet. Nec ea instructi sunt supellectile, quae necessariis vsibus sufficiat : sed in apparatu habent & aurum & gemmas, quas sumere in manus, aut saepius inspicere possint. Vtque hunc omittam, & de nostro* AEMYLIO *verba faciam, quis unquam perfectum Iurisconsultum, omnibusque numeris absolutum, aut exhibuit, aut exhibiturus est, sic hic non praestitit : quam sinceri castique mores? quanta hominis fuit integritas? quanta doctrina? Equidem dum mecum tacitus cogito, qualem quantumque esse oporteat, qui se Iurisconsultum profiteatur : qui rerum diuinarum & humanarum arbitrium sibi arroget : vix similem formare fingereque possum. Nihil enim absolutius, nihil ornatius virtute & eruditione inter mortales optandum videtur :*

gente, altero autem in toto orbe iam celeberri-

tanta Iuris peritia in eo homine fuit, vt ne veteribus quidem Iureconsultis cedat: cuius fidem faciant perpetui Commentarii in Quinquaginta Pandectarum Libros: *modo auctori sint superstites: Libri praeterea Opinionum, & quae* de Signo & Ratione *scripsit. Huic accedebat honestarum disciplinarum exacta cognitio: in quibus ne summis quidem inferior erat. Quam pura, quamque syncera oratione vsus sit, quamuis extemporali, sciunt, qui aliquando cum eo versati sunt. Omitto, quod in Philosophiae arcana omnia penetrauerat: nullam praeterea* Musices *partem non probe calluerat: nihil denique libero homine dignum esse puto, cuius ille rudis fuerit.* Eadem fere elogia, nostro & Alciato tribuit STEPHANVS BADEREVS Praefatione in Libros Dictatorum Ferretti, qui vtrosque Iuris prudentiam, a pessimis Imperatoribus pessundatam & profligatam, inde etiam a plerisque barbaris hominibus tanquam a falsis tutoribus male habitam, maleque tractatam erexisse, in integrum reposuisse & quasi postliminio reuertentem in possessionem pristinae dignitatis restituisse, scribit. Verae laudes, si ex temporum ratione quibus FERRETTVS vixit, doctrinas eius aestimes, discipulorumque amorem temperes. Tu modo qui haec legis studiose Iurium Cultor, nostris felicissimis temporibus exemplum quod imitere, exinde tibi capias. Post laudes Viri, audiendae sunt

leberrimo, quo defensore & patrono acer-
rimo

etiam censorum obtrectatorumque voce. Enim vero, quum Alciati in instauranda Iuris prudentia socius, eidem vetera ornamenta natiuamque dignitatem restituere conaretur, non poterat non in se excitare Bartolinae Scholae asseclas, qui tum Glossis suis amplissimisque Commentariis omnia impleuerant. Has obtrectantium criminationes, Auditores, Praefationibus Commentariis Ferretti praemissis, referunt. Audiamus LVDOVICVM MASSAM excitata iam Praefatione, has ipsi Ferretto aperientem: *Nam cum quiescentes* scribit *leges, & pene abiectas excitare atque restituere contendas, & efficere, vt Scholae in docendo, Tribunalia in iudicando, in* Leges *potius intueantur, quam communem opinionem sectentur: a qua in iudicando & consulendo non esse recedendum nefas & impium omnes & arbitrantur, & semper in ore habent: quam cum saepe seruari videas, abiecta legis & ratione & auctoritate, ita in Interpretes inueheris, vt te potius euersorem Iuris, quam restitutorem & conseruatorem permulti eorum disciplinis addicti, esse praedicent. Inter quos primum gradum obtinet* Bartolus: *cuius alius vestigia adorat, alius sine eo Ius Ciuile constare non posse audacter affirmat, lucerna Iuris ab omnibus habitus. Itaque euertere Ius Ciuile, & ei tenebras offundere velle videris; cum Bartolum tam acerbe*

timo in omnibus vsa est. Si quid enim gra-

---

oppugnes : vim totam ingenii tui, aciem, acumen ad eum expugnandum conuertas. Tamen si aeque, & sine liuore iudicare velimus, & quid in legibus sit potius (a quibus quam quanti sunt, sunt interpretes) perquiramus, quam nominibus Doctorum nos sustentemus, velimus nolimus, nobis fatendum erit, tibi nunc plus aut scholas, aut tribunalia debere, debiturosque posteros, quam cuiquam a multis annis debuisse memoriae proditum sit. Quis enim facilius & purius te docet, aut prudentius & aequius de Iure petentibus consulit? Ipse FERRETTVS quae ab aduersariis ipsi fuerint obiecta, refert Oratione *de Perfecto Doctore* sub finem atque diluit : *Necessarium mihi est in eos inuehi saepenumero, a quibus prima labes coepit : haec me ratio frequenter in Bartolum excitat : haec me cogit nolentem etiam admonere vos eorum, quibus, etsi fortasse ego meliora proponere non valeo, quantum tamen in illis morbi sit internoscere possum. Hic partim inuidia, partim imperitia moti, vel* vt obscurum Interpretem, vel vt contumeliosum, & maledicum me damnant. *Qui* obscurum *dicunt* esse me docendo & dictando : *nescio qua de caussa suam mihi imputent ignorantiam. Quis enim coecus unquam lumen, fenestras, lucernam accusat, quod nihil aut parum ipse videret? quae autem culpa mea est, si nemo eorum unquam*

grauioris negotii nafceretur, ad hunc tan-
quam

quicquam bonarum literarum didicit? an formare ego me potius debeo ad illorum, quam ad Iurifconfultorum veterum morem, Vlpiani fcilicet, & Pauli & Scaevolae, & fimilium, quos, vt ego nunc interpretor, ita illi fuperiorum interpretes fuerunt. Nam neque quifquam eorum leges edidit, fed commentarios. Quodfi me cum illis comparauerint, grauiffimi hi cenfores, (fi modo illorum fcripta intelligunt,) excuffis parumper tenebris inuidiae & imperitiae fuae, poterunt facile animaduertere, me dare operam, vt quam fimilimi euadant mei auditores eorum, quorum tanta amplitudo fuit, vt lucubrationibus & commentariis ab illis editis pro legibus vtamur. Eos vero, qui contumeliam faciunt nomini meo, quod in Bartolum *praecipue inuehor: vtilius & commodius facturos effe arbitror, fi quae clanculum in angulis, domique in me blaterant, aut hinc publice proponant, aut excudi etiam iubeant in communem vtilitatem. Turpius enim an fit nefcias, an facilius, eos qui neque loqui, neque fcribere fciant, per fpeciem, honeftatis vituperare, eos, qui vtrumque publico commodo praeftare fortaffe poffunt, certe, quidem nituntur. Non carpendo clam, fed bene fcribendo & docendo Ius Ciuile profecit primis temporibus & proficiet, vt fpero, nouisfimis. Equidem nunquam* Bartolo, *aut* Bartoleis *male*

quam ad aſylum & arcem tutiſſimam currebatur: qui maiore & cura, & animo, quicquid eſſet honeſti negotii, nullius auctoritate aut potentia deterritus, quam proprias res ſuſcipiebat, ac ſumma & fide & diligentia tuebatur & exſequebatur. Quantam autem viro, tot, tantisque dotibus in-

C ſtructo

dixi tanquam interpretibus, ſed tanquam auctoribus. Quae enim haec eſt inſania demiſſa lege, cuius auctoritatem neceſſario ſequimur, praeſertim prudente, eloquente, perita, vt nihil magis, eos pares legi facere, quibus tantum ipſimet credendum eſſe dicunt, quantum a lege ducitur & probatur. Riuulos igitur dico ego non eſſe ſectandos, ſed fontem, caput ipſum petendum. Ceterum nullius nos iniuria ab honeſtiſſimo incepto deterrere debet. Vetus enim eſt, & vere regium, cum facias bene, audire male. Plenius adhuc in his FERRETTO obiectis confutandis occupatus fuit IVLIVS RONDELINVS adducta iam ſaepius Praefatione, cuius verba tamen, quum nimis ſint ampla non deſcribemus, eo potiſſimum redeunt, *nimium multa iam in Iure Ciuili ſcripta eſſe, vt* adeo carere potuiſſet orbis literatus ipſius ſcriptis; haec dicta & propoſita ab eo *vt maledicendi & reprehendendi auiditatem expleret; non ſatis ſibi conſtare in Decretis & modo hoc, modo illud probare.* Quibus omnibus copioſiſſime reſpondet RONDELINVS.

ſtructo, longa rerum & aetatis experientia prudentiam adiunxerit, non difficile ex iis, quae diximus, intelligi poteſt. Ita ergo fama ſui nominis totam Europam impleuerat, vt certatim a ſummis Principibus, immenſis propoſitis praemiis, inuitaretur expetereturque. Etenim creberrime ex Gallia, nunc a *Rege* ipſo, nunc a *Duce Biturigum* afferebantur literae, quibus ille hunc *Valentiam* inuitabat ad profitendum, ſuaſu Valentinorum Ducis & ciuium quotidianis precibus. Allati ſunt in hanc vrbem a Valentinis Regii codicilli, quibus Aemylium Delphinatus Senatorem deſignauerat: ita vt honore & honorario Senatoris, Valentiae frueretur. Haec autem ad ſuos *Bituriges* ingenti ſalario pertrahere conabatur, fidem faciunt Albaſpinei, Biturigum Praeſidis ad Aemylium literae. Nec vero ab hoc certamine aberat Italia. *Piſana* enim Academia Aemylium quaſi quodam iure flagitabat, aegre ferens ſuum alumnum, opibus apud ſe quaeſitis, aut ſaltem incoatis, exteros ditare. Nec interim ſibi defuit ampliſſimus ille *Venetorum Senatus*. * Primum quidem tentandi hominis animum, prouinciam dat *Gribaldo* Iuriſconſulto & doctiſſimo & ingenio candi-

* Patauium inuitatus vt HIERONYMO CAGNOLO ſubſtitueretur PANZIROLVS l. 2. p. 277.

candidiſſimo. Deinde cum res non procederet, Legatum ad eum Auenionem (quem vidimus) mittit, qui coram, Senatus voluntatem explicaret, & literas in manum daret, quibus Paduam inuitabatur ad primam ſedem, quae iam pridem vacabat, implendam. Quantis autem praemiis ſolicitaretur, haud difficile coniiciet, qui Auenionenſe ſtipendium mille aureorum ob oculos ſibi ponet. At hoc certamen quod in dies incaleſcebat, inuicta mors acerbo funere diremit. Quantum vero in ſcribendo potuerit, demonſtrabunt perpetui in Pandectas Commentarii, niſi perfidia eorum, in quibus ſumma fides eſſe debebat, ſupprimerentur: tanta certe elegantia & puritate compoſiti, vt cum ipſis Iuriſconſultis veteribus certare videantur. Scripſit Librum cui Titulum fecit, de Signo & Ratione, in quo prope innumera Iuris loca explicantur; quem aliquoties ex ſuggeſtu quoque citabat. Item alterum, quem Bartoli Euerriculum inſcripſit, in quo quicquid in Bartoli farragine ineptum & improbandum eſt, oſtendit. Scripſit praeterea Reſponſa permulta. Item Epiſtolas * non paucas. Libros praeterea Opinio-

 num

* Quae ſi editae eſſent, magnam rebus ad vitam ipſius pertinentibus adfundere poſſent lucem.

num compoſuit, ex quibus fragmentum inſertum fuit poſt Notas in Inſtitutiones ab eo editas: & multa alia ſcripſit. Dictata * in Auenionenſi Schola, edentur quidem omnia in Tit. de Pactis, de Tranſ. de Probat. de Fide Inſtr. de Teſtib. de Teſtam. in L. Gallus, de Liber. & Poſtum. de vulg. & pupil. de Legat. ** ad Legem Falcid. de acquirend. poſſeſſ. de vſucap. de verb. obligat. Item in L. unicam C. de

* Harum commentationum dictando Auditoribus communicatarum editionem Ferrettus ſiue gloriolae quam multi libris aucupantur non adeo ſtudioſus, ſiue grauioribus occupationibus, impeditus, neglexit; eam vero concedente & annuente Aemylio ſumſere auditores IVLIVS RONDELINVS Maſſilienſis & STEPHANVS BADEREVS iam excitati. His acceſſit LVDOVICVS MASSA, vir doctus, qui non ſolum egregium *de Mora* libellum *Lugduni Gallorum* Anno M DL. aut circiter in lucem emiſit, ſed condiſcipulorum quoque precibus, ea, quae de *Verborum Obligatione* eodem anno dictauerat, conſcripſit, Epiſtolaque quae operibus editis praemiſſa, Idibusque Auguſti 1551. ſignata eſt, ab eodem, vt collectanea haec emendaret atque ſuppleret, petiit.

** Hos Commentarios Ferrettus accurandos commiſit BADEREO auditori, ſaepe iam excitato; ceu ex Praefatione ipſius patet.

C de ſentent. quae pro eo quod inter. pro- fer. Tractatus de Mora. In quibus illud magna admiratione dignum arbitramur, quod e ſuggeſtu omnia, quemadmodum excuſa habentur, ſine vlla emendatione, inductione, aut mutatione dictaret, non ex ſcripto, ſed memoriae theſauro de- promta: * & profecto perpetuum oratio- nis filum ** in tam graui diſciplina tueri

 om-

* Inde & de ſapientia eruditioneque viri, ex ſcriptis quae habemus, non ab eo editis, ſed loquentis ore ſaltim exceptis, meo quidem ani- mo, plene non debet fieri iudicium. *Nam- que* vt verbis vtar IVLII RONDELINI Audito- ris, *non omnia ex dictantis voce aequaliter ad omnium aures perferuntur: neque tanta cele- ritate excipiuntur, quanta dictantur. Hoc e- nim ſciunt, qui eum audiuerunt, dictata haec fuiſſe ex tempore, tanta celeritate pronuncia- tionis, quantam vix manus calamo ſequi, ani- mus auribus aſſequi potuerunt: ne fortaſſe quis credat, haec ex dictatis illorum generum, quae compoſita, perpolita, evigilata domi fere, a no- ſtris profeſſoribus, in Scholam deferuntur: vt mirandum prope ſit, tot res tam varias, per- petua oratione compoſitas, ex tempore dicta- tas, tam apte conuenire potuiſſe.*

** Inde MARCVS MANTVA *Epitome Viro- rum illuſtrium*, p. 441. Edit. Lipſ. Aemylium eloquentium Iuriſperitiſſimum & Iuriſpertiſſi-

omnium difficilimum esse puto, Conficiebat quidem ille notas quasdam rerum, quae tractationis summa praecipuaque capita complectebantur, ne memoriae periculum temere adiret, aliquo pacto turbatus. Verum eo subsidio rarissime, imo vix unquam est usus: ac frequentissime ne illas quidem Notas in auditorium secum attulit, cuius rei complures mecum sunt testes oculati. Idque accidebat aliquoties, quod vel in via exciderent, vel domi famuli obliuione relinquerentur. Non autem id prudentissimi viri temeritate fiebat. Ac tam constanter sine Notis dictabat, ac si nomina syllabatim legeret, illud interdum adiiciens, si memoriae blandiretur, eam remissiorem evadere: si vero imperaret, facilius obsequi. Adiicietur oratio habita ab eo, cum facturus esset exordium, in Tractatum de Probationibus. Quando vero non Latina tantum Lingua disertissimus & eloquentissimus fuit, sed sua etiam, hoc est *Italica*, in qua omnium iudicio, qui eam linguam callent, primas facile tenebat, non putaui silentio praetereundum, eum scripsisse lingua Italica Libros aliquot de *tractandorum Armorum ratione*. Nihil enim hoc beatissimum & foecun-

morum eloquentissimum vocat, quod M. T. Ciceronis elogium est.

foecundissimum ingenium latuit: imo vero sic in singulis excelluit, vt vni illi tantum incubuisse videretur, quod pro tempore tractaret. Item praeposuit *Boccatio* in Gallicum sermonem *verso*, *Epistolam* Aemylio non indignam, id est disertam & eruditam, vt testantur, qui Italice norunt. Quoniam autem iam pridem vxorem ac liberos amiserat, *Marcum*, *Nicolai Fratris* filium scripsit heredem, famulos magnificentissime remuneratus est. Testamenti vero exequutorem dedit Ciuem Florentinum, Auenioni agentem, eiusdemque ciuitatis ciuem Virum lectissimum, nobilitate ac disciplinis liberalibus (quod in tantis opibus rarum est) non vulgariter instructum & ornatum, *Paulum Antonium Gadaneum*, qui literarum nomine commendatos, & fauore & liberalitate fouere non desinit. Is se Aemylio, & officiis & pietate talem praestitit, qualem pius parens filium erga se exoptaret. Huius viri arbitrio omnia quae ad funus pertinerent, commisit. Tanta enim illi non temere, de hoc viro integritatis & fidei fiducia fuit. His rebus confectis, quamuis vehementissime ardenti febre inquietaretur, tamen se totum ad diuinam Philosophiam conuertit, de qua, quam graues, prudentes & eruditas conciones habuerit testes sunt complures non leuis auctoritatis

 viri,

viri, qui illi perpetuo officii gratia aderant aegrotanti, inter quos in primis laudandus eſt praeſtantiſſimus ille teſtamenti exſecutor. Illud profecto non indignum relatu viſum eſt, quam aequo animo, quanta patientia, morbi vim tulerit: quam ſe fortiter ad vitae exitum pararit: voces ſubinde edens non minus pias, quam doctas: nunc veniam delictorum ſuppliciter demiſſoque animo, ab ipſo DEO orans, nunc illi ob beneficia gratias agens. Permulta de DEI ſapientia, bonitate & miſericordia, prudenter pieque diſputans, multa de rerum fluxarum contemtu, illud adiiciens, multo vtiliſſimum eſſe interdum aegrotare. Hac enim via ad ſummi DEI & humanae imbecillitatis cognitionem nos adduci, quam ſolam, veram, ſolidamque ſapientiam eſſe, grauiſſimis multisque verbis confirmabat: reliqua omnia caduca, fluxa, inania ac proinde contemnenda eſſe. Teſtatus eſt, ſe multum verae Philoſophiae in eo morbo didiciſſe. Alienatae mentis ſignum rariſſime, idque breuiſſimum dedit. Hactenus praecipua capita geſtorum praeceptoris optimi, quanta potui breuitate, nullo adhibito fuco, curſim attigi, quae tamen ſatis ſum ratus ad reliqua intelligenda. Vulgo enim dici ſolet, ex vngue leonem aeſtimari, nam omnia ſigillatim perſequi infinitum & otioſum eſſet, & praeterea copia faſti-

faſtidium facit, vt recte cenſuit ille. Fructum autem huiuſce ſcriptionis eſſe arbitror, vt vitam Viri huius, tanquam ſpeculum quoddam, ob oculos ſibi ſtatuant, qui eo contendunt, quo ille peruenit. Deceſſit Auenioni quarto decimo die * Iulii anno MDLII. idque eo fere momento, quo ſolitus erat ex aedibus egredi, & in auditorium interpretaturus prodire: vt e theatro exiguo, ab eximio munere, ad praeclariſſimum, ampliſſimum, ac beatiſſimum ſpectaculum euocatus videatur, vbi perpetuo ſpectatorem, non actorem agat. Corpus enim iam ſatis laborum exhauſerat: hoc quieti datum eſt, animus vero in ſuam libertatem reuolauit. Aetatis tertio & ſexageſimo, conflictatus cum ardentisſima febre dies quatuordecim, erat enim firmis validisque membris cruda viridique ſenectute. Huius mors maiorem luctum, & ciuitati, & ſuis auditoribus attulit, quam cuiquam credibile ſit: haud quidem facile diſcerneres vtrum ciuitati, aut auditoribus carior eſſet **: vidiſſes aegro-

 tan-

---

* Editio Lipſienſis PANZIROLI VI. Iulii diem habet. Sphalma forte Typographicum.

** Quem in AEMYLIVM ſummum amorem & poſt mortem declararunt. Audiamus PANZIROLVM, ſub finem contractae ſuae ex Ribitto noſtro Narrationis *p. 278. Edit. Lipſ.* ſubiungentem: *Vnice tam a Ciuibus, quam Auditori-*

tantis aedes, a prima ſtatim luce ad tenebras, turba tum ſcholaſticorum, tum ciuium ſtipatas. Elatus eſt quam fieri potuit honorificentiſſime: tantum enim ſtudium omnes ordines, aetas & ſexus, ad ornandum funus, & memoriam honorandam certatim adhibuerunt, vt longius progredi difficillimum fuerit. Funus comitabatur eruditiſſimorum Vniuerſitatis & Collegii doctorum ordo, idque eo ornatu, qui ſummum luctum declararet. Tum Praetor, Primicerius Vniuerſitatis, ArchiEpiſcopi Vicarius, Vices gerens, Iudices cauſſarum, Palatii Auditores, Conſules & magna Procerum multitudo ſequebatur. Item moeſtiſſimus luctu ac lacrymis ſordens, ſqualidusque ſcholaſticorum numerus tam triſti luctuoſoque ſilentio, vt vniuerſam vrbem ad tam triſte ſpectaculum excitauerit ac pertraxerit. Pleriſque lacrymas vbertim manare vidimus: bis laudatus eſt a diſertiſſimis auditoribus: primum dum illi nondum ſepulto iuſta fierent, deinde poſt tertium diem in eodem templo. Sepultus eſt in aede diui Dominici, in ſacello diuo Sebaſtiano dicato. Et ſi-

---

bus dilectus ingens ſui deſiderium reliquit, quod SIMONIS CRAVETAE *exemplum oſtendit, qui Aemylii Cathedrae ſubrogatus, cum in prima Oratione eum perſtrinxiſſet, ab omnibus exploſus & vrbe eiectus, coactus eſt diſcedere.*

ſi huic viro, quod feliciſſimum arbitrantur Viri ſapientes, contigerit, nempe exire de vita, cum res eſſent proſperrimae, nobiſque mors illius incommoda, grauiſque non illi fuerit, non poſſumus tamen non grauius commoueri, quod ducem noſtrum tam inſignem, tam prudentem, tam eruditum ac vigilantem, tam denique exercitatum, tam infelici clade nobis ademerit: non quod illi felicitatem inuideamus, quam adeptus apud ſuperos aeuo ſempiterno fruitur: ſed noſtris incommodis angimur & dolemus. Etenim ſine duce perito, non magis tenere tuerique curſum inſtitutum poſſumus, quam ſine velis nautae. Quodſi fata virum vita frui conceſſiſſent, ſi Parcae inexorabiles fila ſua aliquamdiu produxiſſent, imperium Reginae huius ciuilis ſapientiae turpiter miſerabiliterque magno totius Rei publicae incommodo, iam diu a barbaris occupatum, priſtinae libertati, puritatique intra paucos annos reſtituiſſet, adeo bene inſtructus ab omnibus copiis erat, vt facile illi eſſet, barbaricas turmas, quantumuis copioſas & obſtinatas fundere atque delere. At veriſſimum eſſe re ipſa experimur, praeclara plerumque in medio curſu frangi mergique antequam portum conſpiciant, fallacem noſtram ſpem, inanes noſtras quoque eſſe contentiones. Cogitatione nulla concipi, nedum verbis exprimi poteſt, quantam iactu-

iacturam in hoc Viro, vniuersa res literaria fecerit: quam calamitatem sentiet in primis sacrosancta Iuris prudentia, & eius sectatores omnes, idque propius ii, quibus contigit viri suauissima frui, & viua voce, & familiaritate: vt tandem verum sit, quod prudenter & grauiter a veteribus celebratum accepimus, quid habeant vtilitatis res, carendo magis intelligi, quam fruendo. Senties *Auenio*, quo lumine orbata, quantaque clade sis affecta. Verum tandem sit querelarum modus, quem tamen vix patitur dolor iustissimus. Magnam enim spem conceperam, ab eo duce, rude donari, emenso iuris studii curriculo, sub quo tyro abhinc quarto anno fueram, cuiusque mihi prima vox Iurisconsulti in hac disciplina audita fuit: sed fatum repugnat, cui aequo animo parendum potius est, quam dolori indulgendum. Auenioni 14. Nouembr. 1552.

Effigiei FERRETTI

quae sub finem plagulae primae Operum Francofurti ad Moenum iunctim editorum, ligno parum scite incisa comparet, haec sunt circumposita:

In

In
Magni AEMYLII FERRETTI Effigiem
Petri Promachi Diſtichon:

Γνήσιον Αἰμυλίȣ Φερρέττȣ εἰκόνα ὄπτῃ
Εἰκὼν μὲν σιγᾷ αἵμυλος ἀλλ᾽ ὅδ᾽ ἐ

Natiuam Aemylii Ferretti hic Icona cernis,
Muta quidem eſt icon, haemylus aſt is erat.

SCRIPTA
AEMYLII FERRETTI.

Haec a *Iulio Rondelino, Stephano Badereo, Ludouico Maſſa*, Auditoribus, ſingulatim edita * collegit ** M. ZACHARIAS PALTHENIVS, Typographus Francofurtenſis

* Ipſe enim teſte LVDOVICO MASSA, nunquam adduci potuit, vt ederet, quae dictando communicauerat Auditoribus, haud tamen iniquo animo, eruditis hiſce diſcipulis eam curam permiſit.

** Doleo tamen, virum de re libraria, etiam iuridica bene meritum, haut indicaſſe veteres editiones quaſque ſit ſecutus.

tensis eruditus, atque exposuit hoc titulo:

OPERA, *quae haberi vnquam potuerunt* OMNIA *quibus continentur, tam quae, dum Romae, Auenioni, & Valentiae profiteretur, auditoribus suis publice dictauit: quam quae dum viueret ipse edidit:*

hac serie:

I. *Notae in IV. Libros Institutionum Iustiniani*, quas teste SIMLERO *Paganus* primum excudit *Lugduni Gallorum.*

II. *Praelectiones in praecipuos Pandectarum Libros.*

III. *Praelectiones in praecipuos Codicis Titulos.*

IV. *Tractatus* de *Mora, Lugduni Gallorum* a. 1550. aut circiter a *Ludouico Massa* editus; singulatim *Hanouiae.1599. 8.* cum Forcatulo, 8. & iterum *Osnabrugi* 1675. 8. vna cum Eiusdem *Interpretatione L. vn. C. de Sententiis quae pro eo quod interest, proferuntur, siue de Interesse*, additae Anonymi annotationes & remissiones, plurimum practicae.

V. *Re-*

V. *Responsa* LX. quibus subiungitur:

Oratio, de *Perfecto Doctore*, ab eodem in Gymnasio Auenionensi pronunciata.

frustulatim quidem antehac, nunc vero ex ipsius Auctoris recognitione & castigatione emaculatius & correctius edita. Cum Vita Auctoris & Indice satis largo. *Francofurti ex Officina M. Zachariae Palthenii, sumtibus Ionae Rhodii 1598. 4.*

De reliquis Scriptis quae adfecta habuit Ferrettus, consule praecedentem de vita studiisque ipsius expositionem a p.35. ad 39. Nec tamen definire possum an vnquam fuerint expressa typis.

Annotationes Aemylii nostri *in Tacitum de Germanorum Moribus*, *Gryphius* celebris typographus expressit *Lugduni 1541. 8.* Iteratam editionem promisit NICOLAVS CISNERVS, cuius vide de *Historicis Germaniae & opere Historico D. Simonis Schardii iisque legitimo ordine disponendis* Epistolam, inter ipsius Opuscula p.478.

Epi-

Epiſtola vna *Ferretti* Italice Lugduni Kalendis Maiis An. M D XLV. ad Reginam Nauarrae ſcripta, praemiſſa eſt veteri Verſioni Gallici Operis Boccatii, quod Decameron inſcripſit, qua & opus & verſionem, cuius Auctor Antonius Maconus (le Maçon) ſingulariter laudat.

VITA*
IOANNIS CORASII
Regii Tolosani Senatoris & Cancellarii Nauarraei
scriptore
ANTONIO VSILIO
Praesidialis Curiae Consiliario & in Schola Monspeliensi Iuris Ciuilis Professore.

IOANNES CORASIVS Iuris Consultus, Patre *Ioanne*, & matre *Catherina Termia*, *Realmontii Albiensium* oppidulo natus, *Tolo-*

* Prodiit quoque *Vita* IOANNIS CORASII auctore IACOBO CORASIO eius Abnepote, *Montalbani 1673.4.* quam tamen peruestigare haut potui. SCAEVOLA SAMMARTHANVS, *Elogiis doctorum in Gallia Virorum Lib. II. p. 85. Edit. Ienens.* breue hoc ipsi Elogium fecit: *Hic Tolosae celebri legum domicilio natus, & in ipso Iurisprudentiae sinu molliter innutritus, quam a sacro eius vbere suxerat aequi & boni disciplinam, pari deinde profitendi scribendique labore in florentissimis Europae Gymnasiis largissime profudit. Relictoque tandem scholastico otio, in patrium Senatum allectus, ac paulo mox in Aulam Nauarrae ad Cancellarii dignitatem euocatus, videbatur*

sae vero educatus & institutus, in cunis adhuc fere iacens, ad ciuilem disciplinam* accingitur. Cuius fundamenta, quantum licuit per aetatem, *Tolosae* iecit**, tantaque pau-

sibi comparasse tranquillam & honoratam a laboriosa iuuentute senectutem, cum in ciuili tumultu, praeter omnium spem redintegrato, post interemtos Lutetiae, Borbonicarum partium duces, eadem & ipse plebeculae furentis amentia, Tolosae crudeliter interfectus est.

* Inter Praeceptores suos IOANNEM BAGIS Praesidem postea Tolosanum, & IOANNEM BOYSSONEVM Senatorem Sabaudiensem, numerat, Epistola, qua suum de *Dote* Tractatum, quem Valentiae magno auditorum concursu & applausu semel iterumque explicuerat, ipsis dedicauit, scribens: *qui, quod in me pauxillum eruditionis est, acceptum vobis merito referre debeo. Vobis viris, & sapientia & integritate claris, quos in his studiis ab ineunte pueritia, duces & principes habui: quibusque has nostras lucubrationes, merito dedicandas duxi: vt quae ex vestris quondam fontibus, avide ebibimus, vobis patronis, vel potius auctoribus, illustriora fierent.*

** Audiamus iterum ipsum CORASIVM initia & progressum studiorum in Iuris Ciuilis prudentia suorum, Epistola ad IACOBVM MINVTIVM primum Tolosae Praesidem, postquam de prudentia in deligendo vitae genere

paulatim acceſſio facta,vt tertium dicimum

quaedam diſſeruiſſet, ita exponentem ; *Quæ tamen felicitas mihi inprimis optanda eſt, qui pene puer, tum vrbis Toloſae patriae meae fato, neſcio quo, tum Patris voluntate ad Iuris ſtudium adductus ſum: In qua tamen re illud boni ineſſe videtur, quod mature ad ea ſtudia ſum miſſus. In quibus niſi quis ſumma animi contentione, multos annos verſatus fuerit, fructum ſuarum vigiliarum vix vllum percipere poteſt. Et primum quidem Toloſae huius ſcientiae fundamenta a me iacta ſunt: tantum etiam ſuperadditum, vt futuri aedificii veluti forma quaedam appareret. Poſt aliquot enim annos, quos aliis aſſidue audiendis impenderam, coepi non tam alios docendi, quam me exercitandi gratia, de loco ſuperiore Ius ciuile interpretari. In quo inſtituto, cum diu perſeueraſſem, placuit mihi aliquando exire domo: quod illud conſilium nonnullis vtile & gratioſum fuiſſe animaduerteram Itaque Patria relicta* Andes *vbi celebre Gymnaſium eſt, recta me contuli ; quo ſucceſſu, quanta Auditorum approbatione annum vnum leges illic profeſſus ſim, neque honeſtum eſt haec praedicare, & tu ab aliis intelligere potes. Iſtud idem poſtea a me factum eſt* Aureliis, *idem* Lutetiae Pariſiorum *in Ciuilibus Inſtitutionibus enarrandis & Iure Pontificio interpretando conatus ſum. Cumque mihi creſceret animus in dies magis ac magis, adeo vt meae diſcendi cupiditati, Gallia nimis anguſta videretur, veni in* Italiam,

vix natus annum, in iure ciuili interpretando, de loco superiore, ingenium exercuerit: inde *Andegauum* se contulit: vbi ei pene puero, erogatis de publico stipendiis, diligentem in eo praelegendi munere pro tenera aetate nauauit operam: Illinc *Aureliam*, mox deinde *Lutetiam Parisiorum* conuolauit, ac vbique Iura cum Ciuilia, tum Pontificia, publice professus est. Demum diuturnam sitim explere cupiens superatis Alpibus *Patauium* appulit, quo se FRANCISCO CVRTIO, & MARIANO SOCINO * clarissimis legum interpretibus, veluti recudendum daret: vbi *centum Iuris proloquia* **, qui

quo excellentissimis Legum interpretibus, me veluti recoquendum darem. Pataui *igitur circiter triennium, Viris doctissimis operam cum dedissem, hunc terminum meorum studiorum mihi ponendum putaui. Atque vt hanc vigiliarum mearum veluti fabulam pulcherrimo actu concluderem Centum Quaestiones ex Iurisconsultorum Libris excerptas, de quibus publice responderem, proposui.* Sequitur GVIDVS PANZIROLVS de *Claris Legum Interpretibus c. CLXXXV. p. 299. Edit. Hofmannianae.*

* His addit PANZIROLVS *l. c.* Curtio defuncto IOANNEM ANTONIVM RVBEVM.

** Id anno MDXXXV. fecit, vti ex Epistola constat, qua, hoc Anno XXII. Maii die, has Theses *Iacobo Minutio* consecrauit.

qui vix dum ex ephebis excesserat, dispu-
tanda proposuit: cumque de iure sic feli-
citer respondisset, Doctoreis insulis, magno
illo Iuris lumine PHILIPPO DECIO tum
Senis agente, duce & auspice, cohonestatus,
Tolosam non inglorius repedauit. Vbi,
cum magna esset eius expectatio, in eorum
numerum, qui tum Iuris scientiam illic
publice profitebantur, Diis, hominibusque
plaudentibus, non multo post tempore est
assumptus, Iuraque Ciuilia, aliquot an-
nos tanta, quanta alius vnquam auditorum
approbatione, interpretatus est, multitudi-
nisque adeo numerosae concursus, audien-
di causa ad se, cum de Iure dicturus erat,
tantus fieri solitus est, quantus post homi-
num memoriam, vllo in loco nunquam fue-
rit. Cui rei ego cum aliis quam plurimis,
vel potius innumerabilibus, testimonio
sum, qui eum in suggestu, cum actione spi-
ritus & animi plena dicentem, ac vocem
suam lenitate quadam aequabili profluen-
tem, claram, suauem & canoram in turbam
duorum millium plus minus auditorum faci-
le, solute, magnoque cum orationis splen-
dore effundentem, vidi saepe numero, &
audiui. Quem praeclarum conuentum,
cum a *Valentinis* euocatus deseruisset, in
summo moerore, diu schola versata est, eius-
que discessu, velut vnius Iuris prudentiae
filii morte, omnia *Tolosae* conturbata, horri-

 da,

da, muta, plena luctus, & moeroris fuerunt. Inde *Valentiam Allobrogum* applicuit, vbi cum ei salarium e publico tale fuisset praestitum, quale nec assequi, nec sperare quispiam vnquam, in Cisalpina Gallia potuerit *: labentem illam, & prope cadentem Academiam, quam multis ante annis, PHILIPPVS DECIVS, & LANCELOTVS GALLIAVLA Iureconsulti eruditissimi, orbam & in summo luctu reliquerant ita fulciuit, recreauit & subleuauit, vt iam veterem suae dignitatis splendorem, vnius CORASII beneficio, se recepisse fatebatur. ** Interim vero tanta de eo fama surrexit,

* Iisdem fere verbis vtitur ipse CORASIVS Epistola ad FRANCISCVM OLIVARIVM Magnum Franciae Cancellarium, quae p. 896. Tomi II. Operum extat.

* Quam laudem ipse haud dissimulat CORASIVS, Epistola ad IACOBVM A TVRNONE Antistitem Valentinum, instauratorem Gymnasii Valentini, Valentiae Calendis Nouembr. a. 1545. data, qua ipsi labores in *L. cum Virum* consecrauit: *Accedit huc,* scribit *quod cum Te praeclaro suasore & auctore, hoc oneris mihi impositum sit, vt celebris Academia tua Valentina, quam* PHILIPPVS DECIVS *Pater meus, vir in nostra Iurisprudentia nulli secundus,* LANCELOTVS GALIAVLL. ANTONIVS RVBEVS, ALEXANDER *& alii modis omnibus incomparabiles Viri,*

xit, vt *Auenionenses* primum, deinde *Bituricenses*, & transalpeis *Pisani*, sub idemque fere tempus *Veneti*, nec multo post *Ferrarienses*, ad docendum in eorum Gymnasiis, publice valdeque liberaliter inuitarint. Qui tandem *Herculi Estensi*, principi cum omnium praestantissimo, tum Nationi Gallicae amicissimo, potissimum deseruire cupiens, eius precibus morem gessit, ac in eius vrbe *Ferraria* aliquot annos leges explicuit, tanto Italorum applausu & consensu, tantaque auditorum approbatione, vndecumque

multis ab hinc annis, orbare & in summo luctu reliquerant: opera mea suam reciperet dignitatem. Operae pretium mihi facturus sum, si quoquo modo ostenderem, in negotio tanto tantaque mole, neque remisse, neque negligenter me gessisse: cupiens quam maxime, vt intelligant omnes, quod auspicato, te duce, & auspice, Valentinis omnibus approbantibus, a me coeptum est, id inchoatum & inornatum non relinqui, qui illud mihi initio muneris mei sumere ausus sum, consecuturum me (si nos fortuna non fefellisset) vt maximo praesidio vrbi Valentiae me fuisse, & nunc, sentire homines, & in posterum memoria tenere possint. Hac in Valentina Academia Anno M D. XLV. XLVII. XLVIII. XLIX. vixit, vti ex Epistolis Dedicatoriis variarum Lucubrationum patet, quas sub finem operum a FORSTERO iunctim editorum, inuenies Erudite Lector,

que illuc ad celebrem nominis ſui famam concurrentium, vt Gallorum dignitas, miram opinionis acceſſionem fecerit. In quo inſtituto, diutius forte perſtitiſſet, niſi praematurus honeſtiſſimae Coniugis ſuae, *Catharinae Boyſſoneae* obitus, *Toloſam* vrbem ſuam repetere coegiſſet. Ab Italia ergo reuerſus, cum funeſtae familiae ſuae, qualequale praeſidium attuliſſet, aulam regiam inuitatus cogitauit: quo data ſibi ab *Hercule Ferrarienſi* duce, & *Hippolyto Cardinali*, fratribus illuſtriſſimis ad HENRICVM Gallorum Regem, magnis de rebus, mandata diligenter perferret & exequeretur. Vbi ſermonibus principum virorum, praeſertim Cardinalium *Lotharingi* & *Caſtellionei* *, quantum in

* OTHO A CASTILLIONE, hic E. R. Cardinalis, ArchiEpiſcopus Toloſanus & Franciae Par, cuius inſignem in ſe humanitatem Epiſtola *Opp. T. II. p. 848* Valentiae Calendis Martii A. MD XLVII. ſcripta, qua ipſi in Materiam de Seruitutibus Enarrationes, dedicat, impenſe laudat. Ceteri CORASII Patroni & Amici erant: *Franciſcus Olivarius* Magnus Franciae Cancellarius; *Michael Hoſpitalius*, Libellorum in Regia Magiſter, & Margarethae Ducis Biturigum Cancellarius; *Paulus Fuxius* Conſiliarius Regius & ad Venetos Legatus; *Laurentius Alemandus* Epiſcopus Gratianopolitanus & Abbas Eccleſiae Toloſanae S. Saturnini; *Iacobus*

in ſuo profitendi genere elaboraſſet, Henricus Rex fortiſſimus & ſapientiſſimus intellexit, qui virtuti & ingeniis ampliſſima quaeque pro more tribuens, eum eiusque labores, Senatoria dignitate cohoneſtauit, in Toloſanumque Senatum aequitatis & iuſtitiae fontem vberrimum & legum cuſtodem fideliſſimum, conſcribi voluit,* vbi nunc, boni & aequi propugnator accerrimus, floret.

a *Turnone* Antiſtes Valentinus; *Ioannes Bertrandus* Praeſes Pariſienſis; *Iacobus Minutius* primus Toloſae Praeſes; *Ioannes Maſencallus* primus itidem Toloſae Praeſes; *Antonius Santpolius* libellorum ſupplicum in regia magiſter; *Ioannes Bagis* Praeſes Toloſanus; *Ioannes Boyſſoneus* Senator Sabaudienſis; *Ioannes Daffis* & *Antonius* a *Paulo* Senatores Toloſani; *Antonius Solerius* & *Arnaldus Ferrerius* ICti & Senatores, *Petrus Faber*, Praeſes Toloſanus, *Iacobus Faber* Abbas Eccleſiae Caſae Dei Praeſes Pariſienſis, *Michael Faber* Subpraefectus Toloſonus, Fratres; quibus omnibus, lucubrationes ſuas dedicauit illorumque fauor multum ipſi profuit.

* PANZIROLVS l. c. *Poſtea in Patriam reuerſus, praeclaris operibus in Senatum allectus eſt. Fertur cum pro more examinaretur obmutuiſſe, vel pauca & ea confuſe protuliſſe. Sed cum nota iam eſſet eius eruditio, receptus eſt.* Annis MDLVII. LXVII. Toloſae egit, vti ex duabus

LECTORI
V S I L I V S.

HAec pauca, Candide Lector, de IOANNIS CORASII vita, adscribere placuit, tum vt amico optimo, eidemque Praeceptori (cui bonam studiorum meorum partem acceptam refero) quasi debitum munus exoluam, tum vt habeamus omnes, habeatque vtile exemplum posteritas, quo ad laborem & virtutem accendatur. Quod si parcius restrictiusque, de tanti viri laude dixi: neque in commemorandis, honestis & suauissimis eius moribus, singulari virtute, syncero iudicio, & multiiuga omnium bonarum artium doctrina *, largior, effusiorque

Epistolis Dedicatoriis sub finem Operum a FORSTERO relatis, adparet.

* ANDREAS ab EXEA ICtus Valentinus, quum Commentaria CORASII in *Tit. I. Lib. VIII* π. *& in L. Frater a fratre* ederet, haec de ipsius ingenii dotibus, & eruditione, intermixtis licet multis laudibus, protulit: IOANNEM CORASIVM *IureConsultum Clarissimum, prius quam ex illo, Tolosano sanctiori legum seminario, veluti ex Helicone Valentiam accersitus esset, de nomine quidem cognoueram, semper tamen exoptaram nancisci locum, illum vtique facie cognoscendi, vtpote qui aliquot eius lucubrationes, iam*

que fui ſciens prudensque feci: tum aſſentandi

tum apud Typographos euulgatas perlegiſſem: in quibus ſingularem ſuam eruditionem, & latini ſermonis puritatem maiorem quam quae in noſtri Iuris interpretationibus, obſeruari facile queat, non mediocriter fuiſſem admiratus. At ſimul atque peroptata ſucceſſit occaſio, eum vt ciues noſtri Valentini ad quotidianas praelectiones, ſerendosque in Academia noſtra nectareos ſolidae doctrinae latices magno etiam aere conducerent, & ſubinde in hanc ciuitatem ſe contuliſſet, dici non poteſt, quam eius obtutu mea opinio confirmata ſit, & quo diutius mihi cum eo praeſente philoſophari licuit, eo certe magis magisque in dies ſingulos conduplicata. Dum enim ſummum ingenii ſui acumen, incredibilem dicendi facundiam, docendi peritiam, ſuauiſſimos mores, & ſingularem probitatem atque induſtriam contemplabar, protinus eum nouum aliquod ſidus & ornamentum omnifariarum literarum, omniumque cohaerentium vndecunque virtutum ad nos attuliſſe putaui. Cum autem priuata ſua ſtudia mihi pro ſua humanitate, & coita inter nos indiſſolubili amicitia communicaret, in eas interpretationes incidi, quas in primum octaui Pandectarum libri titulum edidit. In quibus Seruitutum perdifficilem, necdum ſatis antea pertractatam materiam acutius neſcias an ornatius, claram dilucidamque reddidit. In his autem commentariis, quae in Legem, Frater a fratre compoſuit, Africanum non

tandi veritus suspicionem (quod viuat adhuc)

modo ingenii excellentia fuit imitatus, sed etiam interpretandi facilitate superauit. Vtque omnia vno sermone complectar, nihil ab ipso compactum, compositum inueni, quod non idem omni laudis genere dignissimum esse crediderim & subinde iniuriam fieri nostrae Rei publicae τῆς νομοφυλακίας, *si diu lateret, publicisque (vt inquiunt) tabulis non describeretur & præclara ingenia diu sine damno Reipublicae latere non posse. Quapropter eum rogaui & quotidiano prope conuicio efflagitaui, vt has suas elucubrationes Typographis traderet excudendas: quod cum ille recusaret, veritus ne tam doctae, aut elimatae non sint, vt peritiorum expectationi responderent, tandem impulsu meo coactum verius, quam suasu victum, se facturum testatus est. Habes igitur Candide Lector, haec Corasii IureConsulti Commentaria, non sinuosis ambagibus tumentia, neque barbariem redolentia, sed breui quidem compendio docte, peracuteque, non solum ab omni barbarie repurgata, verum etiam omnibus eloquentiae numeris absoluta, quae secundum authorem accepta mihi non ingrate referes.* Addo huius laudibus, VALENTINI GVILIELMI FORSTERI Editoris Operum, iudicia & elogia, quae passim is Epistolae dedicatoriae ad Christianum II. Saxoniae Electorem inseruit:

Fuit Corasius diligens in discendo, sedulus in docendo, de quo qui dubitat haec ipsius Opera sal-

huc) tum ne vel amicitiae, vel beneficiis (quae

tim intueatur, quae partim adolescentulus, partim Iuuenis scripsit, sed ita, vt non potuerint, nisi ab homine diligentissimo & doctissimo proficisci. Experimentum autem experientiae dare possunt SCta Tolosana, quorum Centuriam anno abhinc tertio BARTHOLOMAEVS VINCENTIVS *edidit & spem fecit alias Tres apud doctos viros latere, quas vtinam illi oleo cedri perungerent, aut foras potius darent ne tineas pascerent, aut cariem sentirent. In illis enim practicarum Quaestionum argumentis & auctoritatibus grauissimis a Senatu decisarum, quasi penus continetur. Neque dubito quin hanc ceptam viam vlterius persequi voluisset.*

Vt autem in CORASIO *tanta indoles & ingenii vis eluxit; sic in ipso simul ars & rationis bonitas extitit, siue sapientiam Theoricam consideres, siue practicam Prudentiam. De quo certius inter nos constabit tum, vbi dispexerimus quomodo rite functus sit officio tum Iure Consulti, tum Tolosani Senatoris. Iure Consulti munus & virtus, eius quidem qui in Scholis versatur, si Doctor Iuuenis omnibus authoritate libenter cedens recte sentio, est, vt sua bene proponat, vt aliena interpretetur & explanet bene: illud vulgo tractatus, hoc commentarios appellant:*

Vlcera textus inquisiuit diligenter & erumpentia non indicauit solum, sed etiam detexit atque sanauit, non pro arbitrio quoties visum est, verum

(quae maxima profecto in me extiterunt) si quicquid de ipso conceperam, literis tradidissem, me nonnihil concessisse, male feriati homines suspicarentur.

SVPPLE-

(qui modus & ars eius rei est) rationibus impulsus, & librorum scriptorum auctoritate, non tam incidens vites a stirpe, quam putans. Explanauit etiam obscuriora verba legum, & sententias obscuriores, secundum regulas tritas. Ritus etiam atque aliam Iuris Historiam, vbi debuit, non omisit. Distribuit quoque plerumque Textus in suas partes, & quaestiones a Dd. motas attigit, quantumuis parce, easque decidit, refutatis contrariis opinionibus; & vsum argumentorum atque testimoniorum hinc inde inculcauit. Sed & casus legum, quotiens rei conditio passa fuit, proposuit cum dubitandi rationibus & decidendi, atque contrariis argumentis respondit. Extendit etiam (quod ampliare Doctores nominant) verba Legis ad alios casus, & restrinxit, (quod illi dicunt limitare) adhibito tamen modo, id est, vbi mens & ratio poscebat. Breuiter omnes interpretandi modos rite & percalluit & vsurpauit.

SVPPLEMENTVM VITAE IOANNIS CORASII

ex

MATTHAEI WESEMBECII

Exemplis Iurisprudentiae

Lipsiae 1585. 8. editis.

NAtus est CORASIVS, *Realmontii Albiensium* oppido, in agro Tolosano, cuius pater ὁμώνυμος Notarius, pragmaticam egisset vitam, & hunc filium ex vxore *Catharina Termia*, circiter annum huius seculi cIↄIↄxv. genuisse fertur: quod colligitur ex centum Iuris problematibus, quae post *Patauii* anno xxxv. ingressu xxi. aetatis suae, feliciter disputando defendit. *Tolosae* tamen educatus & institutus est, quo pater oportunitatem Curiae secutus, in vrbe Regni secunda, domicilium transtulerat. Celeritatem indolis hinc aestimare licet, quod *tertium* & *decimum* vix numerans vitae annum de loco superiore ius docere coeperit. Vt est ab *Antonio* quidem *Vsilio*, eiusdem Curiae Consiliario, in literas & monumenta relatum, idemque publicis accitus stipendiis, *Andegaui*, *Aureliis*, *Lutetiae*, ad annum vsque a suo ortu decimum & nonum, factitauit. Quo tempore motus Italorum

lorum fama, *Patauium* concessit, vt FRANCISCO CVRTIO MARIANOque SOCINO, clarissimis tum legum interpretibus, se, velut ipse scribit, recoquendum daret, vbi triennio prope transacto, postquam *centum illas quae extant Theses*, Adolescens, in illo doctissimorum virorum Theatro, dextre propugnasset, dignus est habitus, qui a praecipuo tum Iuris lumine, PHILIPPO DECIO, *Senis* extremam senectutem agente, *Doctorum insulis* ornaretur. Ita peregre honoratus, *Tolosam* rediit, & in Professorum Iuris collegium est cooptatus: de quo sic idem *Antonio Vsillius* scriptum reliquit; Ibi Iura Ciuilia aliquot annos, tanta, quanta alius vnquam auditorum approbatione, interpretatus est, multitudinis adeo numerosae concursus audiendi causa, cum de iure dicturus erat, tantus fieri solitus est, quantus post hominum memoriam, vllo in loco nunquam fuerit. Cui rei ego cum aliis plurimis, vel potius innumerabilibus testimonio sum, qui eum in suggestu cum actione spiritus & animi plena docentem, ac vocem illam suam lenitate quadam aequabili profluentem, claram, suauem, & canoram, in turbam duorum millium plus minus auditorum, facile, solute magnoque cum orationis splendore effundentem, vidi saepe numero & audiui. Haec ille. Cuiusmodi vero fuerint istae recitationes ostendunt,

quae

quae tum inibi, circiter annum XL. iuuenis inuulgauit: quarum feruor ſcriptionum, tanquam a muſto ſpumantium, acrimoniam ingenii coarguit. Inde *Valentiam Allobrogum* eſt euocatus, vt Academiam DECII & LANCELOTI GALLIAVLI diſceſſu luxatam, inſtauraret, ſtipendium meruit, quale nec aſſequi, nec ſperare quiſpiam in Ciſalpina Gallia potuit. Nec ſpem praemiaque fefellit, ſed quod rarum eſt, abſentis famam, praeſens aſſiduitate, gratiaque docendi, duplicauit, omnium expectationi ſatisfecit. Atque hic plaeraque ſub eius nomine, quae leguntur, edita ſunt: quae ſi natu grandior accuratius ante mortem limare voluiſſet, ſtudiis procul dubio communibus, & ſuae gloriae conſuluiſſet prolixius. Sed ipſe memor officii quod in Scholis vixit, haec ſcholaſtica diligenter vrſit, nec auditoribus tantum voce, ſed literis typisque cunctis legere volentibus ſtudioſis communicauit. Poſt adhibitus Rei publicae negotiisque magis, quam ſcriptionibus expediendis deditus, praeclaras potius ad actiones, quam ad eruditas lucubrationum commentationes, finem virtutis & πολιτείας referens, illa non amplius magni feciſſe videtur. Itaque ne cum reprehenſoribus* E qui-

* Hos inter & ſummus ICtus IACOBVS CVIACIVS erat, qui, teſte VALENTINO GVILIELMO

quidem, qui publicis hominem & mordaci-
bus

FORSTERO, Praefatione Operibus Corasianis praemissa, aduersus IOANNEM ROBERTVM, Aurelianensem infestissimum laudum suarum obtrectatorem scribens: *ipsum mali corui malum appellat ouum;* *Robertum* nimirum malum discipulum *Corasii* mali Praeceptoris. Quibus tamen subiungit FORSTERVS: *Hic, dicere liceat, quod Wesenbecium aliquando dixisse scribit Vulteius: Cuiacium saepe multa dicere, sed non probare.* Alius, PINELLVS & plures CORASIO obiecerunt, *quasi vetera & noua sibi tribuat, ideoque censerent:*

Monitum multumque monendum
Priuatas vt quaerat opes.

Quibus etiam respondet editor Operum Corasianorum FORSTERVS: *Esse perquam dubium, an hoc ab ipsis vere & ex Corasii merito dicatur. Impossibile namque videri, vt is, qui multa scribat, in tanta scribentium multitudine, ab aliquibus non aliquid aliquando etiam ignorans mutuetur, atque ita antea inuentis addat adimatue, quod ingeniosis, qualis ipse vel maxime fuit, quotidie contingere videmus, vt se primum ita sensisse credant, cum dudum ante ipsos alium hoc modo docuisse nonnunquam deprehendant, idque ideo fieri putatur, quoniam nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.* Denique

Indignor quicquam reprehendi non quia
crasse

bus ſcriptis vellicauerant, ſe committi paſſus eſt, de quibus ipſe ſic in quadam praefatione refert: *Eorum* inquit *quenquam nominatim perſtringere, cum omnibus bene velim, nunquam apud me conſtitui, quod homine ingenuo ac liberaliter educato nedum Chriſtiano indigniſſimum ſemper iudicaui.*** Honeſta vox animi

---

Compoſitum, illepideve putetur, ſed quia pridem

At errauit interdum & alucinatus eſt, fateor. Sed ſunt haec delicta, quibus ignouiſſe velimus. Cuius vis enim hominis eſt, errare, in errore vero perſeuerare, nullius niſi inſipientis

Verum Opere in longo, fas eſt obrepere ſomnum

Et quandoque bonus dormitat Homerus.

Hoc vitium, qui non fert, nullum hominem ferat.

Haec in Defenſionem CORASII Forſterus.

* Quam animi moderationem & candorem explicatius aperuit Epiſtola ad FRANCISCVM OLIVARIVM Magnum Franciae Cancellarium, Valentiae prid. Kalend. Nouemb. A. 1545. data, l. c. p. 896. qua ipſi Expoſitionem in L. filium quem habentem C. Famil. erciſ. inſcribit, his inter alia uſus: *Sed nos neminem reprehendemus, aut vellicabimus, nulli ſuam laudem eripiemus, ſuorum quisque laborum fructum ferat. Quid enim attinet, ex aliorum reprehenſione famam ſibi comparare? Iudicabit populus & de noſtris, & de illorum ſcriptis: neque noſtra de*

nimi moderati, iam tum significans, quo iste spiritu, quam ad τῆς δόξης coronam animose tenderet. Interim vero dum suarum rerum bene gerens, spartam quam nactus est, ornat, tanta commendatio prosequitur assiduum, vt primum *Auenionenses*, deinde trans Alpes, *Pisani*, & sub idem prope tempus *Veneti*, nec multo post *Ferrarienses*, ad publice docendum, in sua Gymnasia liberaliter nihil ambientem inuitarent. In quo ces-

illis oratio, si quid improbaremus, apud sanos & prudentes homines, praeiudicati quicquam attulerit. Qua in re soleo nonnunquam, etiam in doctis iudicium requirere: qui cum existiment, se tanto plausibilius scripta sua promulgaturos quanto acrius & ardentius in scriptores alios inuecti fuerint, non vident se in nauigio cum illis communi nauigare sibique eandem apud posteros reprehensionis licentiam subeundam: & iis qui postea scripturi sunt, nomen suum infensius fore, quo maioribus immoderatius maledixerint. Idcirco eorum ego qui ante me scripserunt, nomini religiose peperci: ex quibus si qui minus docte scripserunt, omittamus male loqui, & censuram doctorum pertimescamus, neque quo minus de nostris quoque Scriptis iudicium fiat, recusemus. Sed tamen operam demus ne merito de nobis seuere iudicetur, dum eorum, quibus hac in causa ius dicere permittitur, animos offendimus atque prouocamus.

ceſſit votis amici Principis *Herculis Eſtenſis*, ac in eius vrbe *Ferraria*, magno ſatis Inſubrum applauſu concurſuque Ius aliquot annos eſt interpretatus: Amiſit hic coniugem dilectiſſimam *Catharinam Briſſonaeam*, obitu prorſus immaturo, cui praeter formam, multae quae diligentur inerant amoris gratiae. Ad hoc domeſticum vulnus & alia quaedam * acceſſerunt, quae genus eum vitae locumque mutare coegerunt. Non addam cauſis CORASIVM ad mutandam ſedem impellentibus, quod natale ſolum quadam dulcedine cunctos ducit, & immemores non ſinit eſſe. Illud perſpicuum eſt, DVCES FERRARIENSES CORASIVM de magnis rebus ad HENRICVM Galliae Regem ablegaſſe; cui cum officium, fidem, ſtudium, *Lotharingo* autem & *Caſtellionaeo*, praecipuis in aula proceribus, eruditionem approbaſſet ſuam, inductus ab his eſt, vt ſcholaſticis operis valere iuſſis, in *Toloſanum* Regii Conſilii Senatum, cooptari ſe pateretur. Vbi cum non minus in Re publica, quam prius in Schola lumen ingenii ſui, cum magna integritatis & iuſtitiae opinione laudabiliter extuliſſet, omnium ordinum beneuolentiam ſibi prompte conciliauit, in

 primis

* Forſitan & diſcipulorum in Auditoriis Italicis proteruitas, quorſum inclinare videtur WESENBECIVS excitatis Exemplis Iurispr. p. 228. 229.

primis *Nauarrae gentis Regiae* & Sanctae illius Reginae, quae cum esset Ecclesiae nutritia, pietate hominis explorata, Quaestorem eum sui Palatii (Cancellarium vulgo nominant) esse voluit: in quo munere non leue praesidium Gallicanae Ecclesiae miserrimo illo suo tempore, vir hic attulit; multos vbicunque versatus est relinquens testes eius spiritus & donorum, quae diuinitus accepta, quantum in se fuit, aliis communicauit, omnibus, quo ad permitteretur, bene fecit, nemini nocuit. Hoc praecipue spectatus fuit, quod heram cum illustribus liberis suam, varie licet oppugnatam, & a marito distractam, in recto pietatis cursu, veritatisque confessione, retinuit. Cum qua ne longum faciam, ἀντιδωρα gratiae aulicae, & vsitata τῆς τυραννικῆς φιλίας ἐπίχειρα, vita duci & conseruatori salutis nostrae Iesu Christo, fortiter impensa, in illa tragica Galliarum laniena anno 1572. recepit. Fiducia enim Regiorum Edictorum domum ad officium & procurationes suas reuersum, Tyrannis mox occupat. Quapropter irruptione facta, cum suos quoque obuios caedi percepisset in intimum se conclaue silentio proripuit, vbi foribus effractis repertum positis genibus, Iehouam fiducia redemptoris, in spiritu & veritate flagrantissime deprecantem, & in κοινωνιᾳ τοῦ πνεύματος ἁγίου, spiritum suum patri spirituum pie

pie commendantem, immissi sicarii, nulla dignitatis, aetatis, meritorum habita ratione crudeliter interficiunt.* Ita iacet Vir clarissimus meliore vita dignus. Multaque viuendo vitalia vincere secla. Sic itur ad astra.

* IACOBVS AVGVSTVS THVANVS *Lib. LII. Historiarum p. 831. Edit. Geneu. C. ad An. 1672.* nefandam hanc caedem sic mutatis paulisper circumstantiis narrat: *in carcerem Palatinum omnes* (Protestantes) *coniecti sunt, vbi mox noctu immissis sicariis ex eorum praecipue numero, qui iuris ciuilis scientiae operam dantibus immisti gladiatoriam in ea vrbe faciunt, inter quos excellebat Turrius, & aliis perditae vitae hominibus, ad CC. crudeliter trucidati sunt, & in iis aliquot Senatores, atque inprimis* IOANNES CORASIVS, *qui postea immanitate geminata ad ulmum in Area Palatii Senatorio cultu suspensi sunt corpora deinde caesorum in fossa in aedibus archiepiscopalibus excauata terrae mandata.*

SCRIPTA

IOANNIS CORASII

OPERA †, ſingulatim * primum edita, quae haberi poterunt OMNIA in *Duos Tomos* diſtributa, ab innumeris mendis, quibus prius ſcatebant repurgata, allegationibus deficientibus aucta, & diuerſitate Characterum variatis in Germania edita, cum Summariis & Indice locupletiſſimo rerum & verborum in calcem Tomi ſecundi reiecto. opera & ſtudio VALENTINI GVILIELMI FORSTERI. I. V. D. *Witebergae* ſumptibus *Clementis Bergeri Bibliopolae, Excudebat Ioannes Schmidt. Anno M DC. III. f.* Chriſtiano II. Saxoniae Electori inſcripta.

* Quorum annos impreſſionis, collectae ſub finem Operum, Epiſtolae Dedicatoriae docent.

To-

† De CORASII Scriptis IANVS VINCENTIVS GRAVINA de ortu & progreſſu Iuris Ciuilis, p. 134. Opp. Edit. Lipſ. iudicat, *eum* iisdem, *flores potius quam fructus attuliſſe.* Cuius rei experimentum Lectori relinquo.

Tomo I.

Commentarii * in *varios Pandectarum Titulos*, quibus ſub finem p. 853. adhaeret Tractatus de *Inuentario*

* Singulatim editi, quod Epiſtolae Dedicatoriae ad Viros illuſtres & doctos commonſtrant, quas inter Epiſtolas Operibus ſubiunctas, lege.

Huic Tomo Priori ſubiunxit Editor Forſterus ſequentia:

Lectori S.

Si quid aduerſus ſinceram Auguſtanae Confeſſionis Religionem, Ioannis Coraſii Opere continetur vſquam ; illud ii, qui curam ac ſumtus in hac editione contulere, non agnoſcunt : quibus propoſitum fuit, opus hoc integrum, quale ab Autore ſuo olim editum, iterum bono publico euulgare. Hoc Te quisquis es Lector, admonitum volunt, ne neſcius ipſis aliquid imputare poſſis. Vale.

Tomo II.

Repetita Praelectio *Digeſtorum* ſ. *in Duode-*

uiginti Titulos ex prioribus *Pandectarum* *Scholia* a p. 1. ad. 154.

Scholia in *aliquot Leges Codicis* a p. 155. ad. p. 374.

Commentariolus in Titulum Institutionum de Actionibus a p. 375. ad. p. 432.

Enarrationes in L. Si Emancipati C. de Collationibus a p. 433. ad p. 436.

De *Iuris Arte Liber*, Quatuor Partitionibus conclusus a. p. 437. ad p. 528. prodiit singulatim *Lugduni* 1560. 4.

Paraphrasis in vniuersam *Sacerdotiorum* siue *de Beneficiis* Materiam a p. 529. ad p. 580. quae etiam adiectis flosculis Beneficialibus per *Martinum Ravault* exiit *Parisiis* 1551. 8. & sub titulo: Tractatus *de Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis* praescripto *Corasii* nomine *Coloniae* 1596. 8.

Miscel-

Miſcellaneorum Iuris Libri Septem,*a p.581. ad p. 761.

* Horum Miſcellaneorum Liber Septimus, *Epiſtolicarum* alias *Quaeſtionum* titulo inſcriptus, per Literas enim ad Clariſſimos ſui temporis ICtos exaratus. Prodiere alias hi Miſcellaneorum Libri VII. *Coloniae Agrippinae 1581. & 1590. 8.* tertium *Ibidem 1598. 8.*

Arreſtum * ſiue, *Placitum Parlamenti Toloſani,* continens Hiſtoriam (*in caſu Matrimoniali*) admodum memorabilem, adeoque prodigioſam: vna cum centum elegantiſſimis atque doctiſſimis Annotationibus IOANNIS CORASII, Conſiliarii Regii & illius Proceſſus Referentis. Omnia ex Gallica lingua, in Latinam conuerſa a p. 762. ad p. 813.

* Prodiit hoc Arreſtum, Gallice his Titulis: *Arreſt memorable du Parlement de Toloſe a Lyon 1561. 4. & Commentaires ſur l' Arreſts du Parlement de Toulouſe touchant Martin Guerre a Paris 1572. 8.* Inde ex Gallico, interprete HVGONE SVRAEO, Latine quoque ſingulatim *Francofurti* apud *Andream Wechelum 1576. 8.* cura *Philippi Loni-*

Loniceri, ſubiunctumque habet Arreſtum in eadem controuerſia, ex IOANNIS PAPONIS XXII. Arreſtorum Libro.

Senatusconſultorum Toloſanorum Centuria a p. 815. ad p. 888.

Epiſtolae Dedicatoriae ſingulorum Coraſii Librorum ad Viros illuſtres doctosque a p. 889. ad fin.

* Plerisque ſuis Commentationibus adſcripſit Coraſius tempus, quo laborem finiuerit, quandoque iterum ſub examen miſerit.

VITA HVGONIS DONELLI

ex

ORATIONE FVNEBRI *

SCIPIONIS GENTILIS

Discipuli & Collegae.

NAtus est ** HVGO DONELLVS (eius enim de Vita nonnulla, *quae ex familiaribus sermonibus a me hausta & seruata sunt*, commemorare mihi proposui) in vrbe splendida apud Burgundiones Gallici Nominis, quam vernacula lingua *Chalon* *** Latini *Cabillonem* appellant. Alia est eodem nomine vrbs in contigua regione, quae Campania vocatur. Itaque noster hic, heu non amplius noster, origine Gallicana

* Habita die VII. Maii Anni cIↄ Iↄ XCI. & adiecta est HVGONIS DONELLI *Opusculis Postumis* ex Bibliotheca SCIPIONIS GENTILIS, *Hanouiae M DC. III. 8. editis p. 446.*

** Anno M D. XXVII. *v. Icones &* VITAE *Professorum Leidensium*, quae *Lugduni Batauorum* 1614. 4. prodiere, & perbreves sunt.

*** *Chalon sur Saone* distinctum a Catalauno *Chalons sur Marne* in Campis Catalaunicis Hunnorum strage nobilitatis, sito.

liacna fuit. Quod ego illi, vt initium vitae, ſic gloriae puto. Neque enim ſapiens quiſquam unquam inficias ibit, terrae ac regionis cuiuſque ingenium non modo in corporibus magnam vim, ſed etiam in animis habere ſolere eorum qui ibi naſcuntur. Cum autem innumera prope ſint de Galliae terrae laudibus apud omnes Scriptores teſtimonia tum me in primis delectari ſolita eſt M. Catonis illa ſententia, quam ex libris originum, vetus Grammaticus refert: *Pleraque Gallia* inquit, duas res *induſtrioſiſſime perſequitur rem militarem & argute loqui.* Taceo nunc de laude militari, quae ſemper in ea gente fuit illuſtriſſima. Illud argute loqui totum ad ingeniorum bonitatem atque praeſtantiam referendum cenſeo. Neque enim argute loqui quiſquam poſſit, cui ingenium deeſt, & vis illa animi, quam Ariſtoteles in Dialecticis *ἀγχίνοιαν*, Cicero, (vt opinor,) celeres animi motus appellat. Qua re nullam gentem Gallis praeſtitiſſe, prope eſt, vt mihi quidem perſuadeam. Non longe abiuerim: hinc profecto eſt, quod a primis illis vſque temporibus, cum Ius ciuile in Italia, ſed hominum Germanorum beneficio, poſt multa Secula, quibus latuerat, denuo e tenebris ſituque emergeret, plurimique ad id illuſtrandum operas ſuas certatim conferrent, Gallorum tamen

in

in eo ſic enituit induſtria, vt facile apud Italos cognomina illa ſibi *Acutorum & Subtilium* repererint, ac deinceps velut haereditaria ſuis poſteris reliquerint. Quam laudem, a maioribus acceptam, noſter in primis Donellus ampliorem clarioremque reddidit. Parentem habuit Regiis praefecturis, atque aliis ornamentis domi militiaeque nobilem. Ab eo in ludum miſſus, magno amore complecti literarum ſtudia coepit: quem tamen amorem praeceptoris nimia ſaeuitia ſemel extinxerat, niſi parentis ingenio atque aſtu reuocatus fuiſſet. Foedis modis eum laceraue-rat praeceptor, * (vt plagoſi iſti plerumque Orbilii ſolent) qua de cauſa, a literis plane abalienatus, nullis minis, aut blanditiis adduci unquam potuit, ad eas redire vt vellet. Forte accidit, vt parens eius pertranſeuntem illac paſtorem ſuarium cerneret: quo ad ſe vocato coram filio rogare inſtitit, ecquid puero aliquo adminiſtro vel famulo opus haberet? eſſe ſibi domi filium, quem ei tradere & mancipare cuperet, auerſum a literis, inconditum, immorigerum. Ea voce adeo puer conterritus eſt, cum rem ſerio agi exiſtimaret, vt parentis genibus aduolutus, ac flens

* Sequitur iisdem plane verbis PAVLVS FREHERVS *Theatro Eruditorum p. 924.*

flens eum obteſtaretur, ſibi vt parceret, neue ſe filium ſuum in eas ſordes proiiceret: velle ſe literis deinceps operam ſtudioſe dare. Cum iam robuſtiori aetate eſſet, Iuris Ciuilis diſciplinam aggreſſus eſt, in qua breui eos profectus fecit, vt vberioris culturae capeſſendae gratia in remotiſſimas quaſque totius Galliae Academias ablegaretur. *Toloſae* Ius Ciuile profitebantur IOANNES CORASIVS & ARNOLDVS FERRERIVS, tanto adplauſu & auditorum concurſu, vt ad quatuor millia eorum numerum exceſſiſſe DONELLVS mihi idem ipſe adſeuerauerit. Verum cum illorum docendi ratio ei non admodum probaretur, inde ſe *Biturigas* contulit, quo in loco Iuris Ciuilis clariſſima illa lumina florebant, EGVINARIVS BARO & FRANCISCVS DVARENVS. Hos diligere & admirari ſtatim Donellus, in eorumque amicitiam ſeſe inſinuauit, perfecitque, vt mutuo ab illis diligeretur. *Duarenus* in primis eius eximia indole perſpecta, eruditione etiam ſupra vulgus ſtudioſorum, in dies ſibi eum maioribus officiis deuinciendum exiſtimauit. * Cuius viri

* De ſua in *Duarenum* obſeruantia ipſe optimus teſtis DONELLVS Epiſtola ad *Michaelem Hoſpitalium* excuſatoria. *Huic enim Viro* ſcribit, *mea ſponte tantum tribuo, vt nulli magis: huius prudentiam ſingularem & virtutem am-*

Viri DONELLVS opinionem de se non fefellit, sed superauit. Quo factum est, vt eodem anno *Doctoratus* insignibus tituloque publice a DVARENO ornaretur, cuius extat inter eius postumos Libros de Donelli laudibus, habita eo tempore * Oratio, ** &

F a Ma-

---

plector & suspicio. Tum autem ea est hominis authoritas, ea voluntatis erga me propensio, ea merita illius hactenus in me extiterunt, vt non modo coniunctionis iure quiduis a me impetret, sed etiam suo, quem quidem ego prope in parentis alterius habeam loco.

* Anno M D LI die XVII. Iulii. Vitae Professorum Leidensium *Lugduni Batauorum 1614. 4.* editae p. 243.

** Quae adiecta quoque est ipsius DONELLI *Opusculis Postumis* a Scipione Gentili editis p. 437. Hac in laudatione Praeceptor Donelli Duarenus prouocat ad publicum omnium de virtute, eruditione ac facundia ipsius testimonium, iudiciumque eumprimis summi excellentisque Viri Michaelis Hospitalis. Mores DONELLI his verbis praedicat: *Spero huius modestiam, simplicitatem, diligentiam, maturitatem, grauitatem, pietatem denique & religionem ita vobis probatam esse, vt vitam eius velut honestatis ac virtutis specimen & exemplum iuuentuti ad imitandum proponere non dubitemus.* Laudat in iuuene adhuc consilii maturitatem & prudentiam, egregiam quan-

a Magiſtratu vrbis magnoque illo HO-
SPITA-

dam & plane heroicam indolem atque naturam; adiungitque: *eam in* Donello *fuiſſe naturae bonitatem & felicitatem, eam ad virtutem propenſionem, vt a iuuenilibus vitiis, quibus magna pars adoleſcentum conſtricta, alienisſimus, ſenilem plane, id eſt grauem, continentem, pudicam, frugalem, & ab omni leuitate ſtultitiaque remotam perpetuo vitam egerit.* Indeque ipſius Eruditionem ampliſſime commemorat. In Laudibus ergo Donellianis tota Praeceptoris haec Oratio Panegyrica, de *Vitiis* hominis tacere debebat. Conſtat tamen aliis argumentis Donellum, inter alia *Ambitionis* ſtimulis agitatum fuiſſe. Quod vel exinde elucet, quum *Jacobi Cuiacii* ſummi ICti, in locum *Franciſci Balduini*, relicta tum *Academia Bituricenſi*, in Germanicas Argentinam & Heidelbergenſem concedentis, ſurrogationem, aequo animo haud ferret, reprehenſus ob id a Patrono & Amplificatore *Michaele Hoſpitalio*, cuius Epiſtola ſumma grauitate & elegantia ſcripta, excitatis iam *Opuſculis Poſtumis* inſerta eſt p. 269. qua Donelli auſum hiſce inter alia coarguit: *Illud vero perridiculum, quod ſcire vis, priusquam Balduino ſuccedatur, quo te loco habeam. Hoc quaeſo, cuiusmodi ſit, Donelle, conſidera: ſimul illud cogita, quid tibi quantumque arroges, quantum Principi noſtrae Illuſtrisſimae* (Margari-

tae Francicae Henrici II. Regis Sorori, Biturigum Duci) *quantum mihi detrahas. Tu videlicet rogandus es, alium vt liceat Balduino ſubrogare. Quid? niſi conſenſu tuo, nulli erit ad iſtum locum aditus? nam cur hanc tuam cauſſam eſſe dicas, non intelligo, neque enim ille accerſitur, tu vt eiiciare, neque in contentionem* HONORIS *ille tecum aut* DIGNITATIS *vocatur. Si metuis ignotum hominem amico veteri ne praeſeram, iniquus aeſtimator es fidei conſtantiaeque meae, quam te aliquot iam annos expertum eſſe dicis. Sin aliud nihil agitur, quam vt* SALARIVM *augeatur, ignorare non debes, peti ſolere id, non exigi. Sed quoquo modo ſe res habeat, eadem ſemper in te mea voluntas erit quae fuit, quoad pudorem & modeſtiam retinebis: Cuius tibi ducem & magiſtrum velim adhibeas Duarenum, non minus quam docendi. Nulla mihi crede, virtus elucet in adoleſcente magis quam modeſtia, nullum contra vitium turpius aut odioſius quam* ARROGANTIA, *quam vitabis ſi me audies. Vale mi Donelle, Lutetiae Pariſiorum 3. Non. Auguſt. 1555.*

Tui Amantisſimus

M. Hoſpital.

Cui, ſcitisſima Epiſtola reſpondet, ſeque excuſat quae itidem *Opuſculis* laudatis p. 276. adiecta eſt, legique meretur. Neque hanc mentis inclinationem diſſimulauit ipſe Donellus, quod Scipio Gentilis teſtatur Epiſtola

SPITALIO * dignissimus iudicaretur, qui in Collegium Antecessorum Amplissimum cooptaretur. Quare Ius Ciuile publico stipendio

---

Dedicatoria Postumis praemissa: *Audire me ab ipso iam sene memini, se, nisi aculeus ille Ambitionis ac Gloriae excitauisset a puero, nihil in literis futurum & iure ciuili fuisse. Fatebatur ergo Senex, quod Iuuenis tantopere dissimulat: vt se summo Viro & maximo Patrono purget.* Frenum tamen progressu aetatis sibi ipsi iniecit, teste iterum optimo & locupletissimo Gentile: *Nam pudoris quidem & modestiae vsque ad extremam senectutem perpetuo eum retinentissimum fuisse, cognoui. nec reperies facile alium in tanto clarissimorum Iureconsultorum numero, quos Gallia vno tempore, atque vno veluti partu edidit, qui hac laude cum eo conferri possit. Adeoque huius vnius prae ceteris, (quantum recordor,) vt vita, sic scripta nullis oblita maledictis & probris fuere.*

* Franciae Cancellario prudentissimo iuxta & doctissimo. *Amabat* inquit DVARENVS Oratione excitata, quae plena est Laudum DONELLI Hospitalius *in eo nitorem & elegantiam orationis, scientiam linguarum, cognitionem antiquitatis, sine quibus praesidiis Ius Ciuile doceri non potest, probabat amorem veritatis ac simplicitatis in docendo, & quantum sophisticae illius odium animo concepisset, quae*

pendio magnaque ingenii gloria profiteri coepit, etiam adoleſcens: * quippe qui vigeſimum quartum aetatis annum ſupergreſſus nondum eſſet. Vigebant aliquando inter DVARENVM & BARONEM non paruae ſimultates, vt fieri plerumque inter magnos conſueuit, gloriae, quam amicitiae cupidiores. Baro, quo ſtudia partium retineret, Donellum ſibi fere obligauerat, cum aliis blandimentis, tum ſimulatione

non Iuriſprudentiam modo, ſed omnes etiam diſciplinas corrupit, vir ſapientiſſimus intelligebat. Denique videbat, id quod praecipuam in hoc genere commendationem habet, quam apte, commode, acute, prudenter, erudite Iuris nodos & legum aenigmata, (vt verbis vtar veteris Poetae) diſſolueret.

** Quo tempore locoque pleraeque illae ſcriptae & propoſitae fuerunt Donellianae in *Codicis Lib. VI. aliquot* cumprimis *Titulos, Commentationes*, quas vti iam indicaui *Opuſculorum Poſtumorum* titulo edidit S. Gentilis Epiſtola Dedicatoria eorundem conditionem indicans his verbis: *Eſt enim magna pars horum libellorum illic ſcripta atque etiam dictata publice ab adoleſcente Donello vt notae iis adſcriptae indicabant autoris manu. Annus quoque adnotatus eſt, quo haec profiteri coepit, LXI. ſupra quingenteſimum quo tempore vix eum puto compleuiſſe virilem vigorem.*

tione religionis purioris,[1] quam in Gallia Reformatam etiam tum vocabant: saepe ac multum monente DVARENO, ne fidem ei accommodaret. Quoniam de Religione sermo incidit, recte facturus mihi videor, si hoc loco vobis exposuero, qua ratione primum DONELLVS ad verae pietatis cognitionem olim peruenerit. Sororem antea habuerat, virginem piissimam, natu paullo, quam ipse esset, grandiorem. Ea in animo fratris adolescentuli religionis sincerae fundamenta princeps iecit, libellos quosdam pios, quibus illa delectabatur, lingua vernacula scriptos ei suppeditando clanculum. Quorum lectione adeo tactus is fuit, vt maiori deinceps cupiditate inflammatus, studiose Latina quoque nostrorum Theologorum scripta conquireret, auidissimeque legeret. Saepe tamen dubitans ac restitans interdum etiam Monacho cuidam fido sese veluti contaminatum & obligatum scelere purgans, eo tandem deuenit, vt plane amore veri caperetur. Neque enim subito & leuitate quadam desultoria paterna superstitione abiecta, ad veram hanc & in Galliis inter media supplicia efflorescentem religionem conuolauit. Vt herbas & plantas crescere non videmus, sed creuisse; sic religionis & pietatis semina. Recte enim & ingeniose M. Wesembecius (quem hono-

honoris causa nomino) dicere solebat, religionis cognitionem suam Alluuioni similem fuisse. Ita igitur Donellus ab adolescentia pietatem veram complexus, in ea constantissime deinceps ad extremum vsque vitae momentum perseuerauit. *Biturigibus* praeter illos, quos ante saepe nominaui, BARONEM & DVARENVM, *Collegas* etiam habuit FRANCISCVM HOTOMANNVM & IACOBVM CVIACIVM: at quanta nomina! DVARENVM tamen prae ceteris semper dilexit & coluit. Aegrotanti & morienti assiduus adfuit, sermonesque illi multos instillauit verae pietatis, nec sine fructu, vt ab ipso accepi: aiebat enim, Duarenum in lectulo, cui morbus eum adfixerat, saepius exclamasse, veniamque a DEO Opt. Max. petiuisse, quod non maturius iis sese accommodauisset, non minus piis, quam amicis sermonibus. A Cuiacio non tam doctrina, quam religione ab illo saepe simulata & dissimulata, moribusque dissensit: postremo etiam nonnunquam Iuris opinionibus, vt non mehercule Proculus a Sabino magis. Hotomannum autem perpetuo amauit, quem etiam amicum suum appellat in Commentariis, quos in Titulum *D. de reb. credit.* reliquit sane luculentos. Atque haec sunt, quae de DO-

NELLI Vita in Galliis transacta * percepi. Nunc eum in Germaniam oratione nostra deducamus. Nemo vestrum est qui de infami illa Carnificina Parisiensi ** in religionis nostrae homines edita non audiuerit :

Audiit enim & si quem tellus extrema refuso
Submouet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui.

In ea laniena & strage quae eodem momento per omnes Galliae regiones vrbesque peruagata est, deprehensus hic noster fuit *Biturigibus*. Quanto ille tum in discrimine versatus sit, quid opus est verbis exponere? Illud potius commemorabo, quod tot volumina immortalitate dignissima composuit,

* Memorat Batauorum Varro PETRVS BAYLIVS in erudita de Vita rebusque Donelli Narratione, quae *Dictionarii Tom. II. p. 1064. Edit. II.* comparet, Breuem Narrationem de Vita Donelli, quae inter *Vitas Professorum Leidensium p. 243.* extat, aut *Ludouicum Iacob de Script. Cabilonensibus p. 43.* forte secutus *Donellum* & *Aureliae* Ius docuisse. Quum tamen Gentilis vitae rerumque gnarissimus de eo plane taceat, hoc silentium me mouet, vt de Aurelianensi statione dubitem.

** An. M D. LII.

posuit, id totum post DEVM Germanis aliquot studiosis tribuendum est. * Illi praeceptorem suum repentino casu perculsum cum pro animorum generositate, sibi non deserendum putarent, eum Germanica veste amictum quo latere sicarios posset, atque in medium receptum ex vrbe infestissima eduxerunt, quiduis parati

* IACOBVS AVGVSTVS THVANVS *Historiarum Lib. LII. p. 828.* ad Ann. M. D LXXII. 1. E. *Franciscus Hotomannus* & HVGO DONELLVS *qui Ius Civile in illa Ciuitate profitebantur, discipulorum suorum ac praecipue Germanorum ope praesenti periculo erepti sunt.* AVCTOR breuis Narrationis de DONELLO inter *Vitas Professorum Leidensium p. 243. Sed singulari pietate sua odium prouocauit eorum, qui religionis reformationem animis iniquissimis persequebantur, adeo, vt anno illo Galliae funesto, multis crudelissime interfectis in nuptiis Nauarraei in manifestissimo quoque periculo fuerit, a quo mirabiliter tamen seruatus, fideli opera & felici ductu quorumdam nobilium Germanorum, qui studiorum caussa illic commorati, salvum atque incolumem in Germaniam abduxerunt.* Bibliothecam tamen & Scripta omnia cum ceteris bonis deserere coactus est DONELLVS, quod Epistola, qua THEODORO WEIERO Consiliario Electorali Palatino, Libellum de eo quod interest, dicauit, indi-

ſubire potius, quam eum deſerere. Hoc loco mihi liceat fortiſſimis his Donelli ſoſpitatoribus adclamare Ennii illum de Romanis verſum:

Optima cum pulcris animis Germana Iuuentus.

Hoc modo eductus Biturigibus, deinceps eodem habitu *Lugdunum* vſque, ſi bene memini, incolumis euaſit: relictiſque a tergo truculentiſſimis Galliae procellis *Geneuam* ſe tanquam in tutiſſimum portum tandem recepit. Superiori anno, cum Legatus Regius, Dominus Sanceus, vir heroici animi in hanc vrbem veniſſet, memini Donellum ei in arce commemorare, quemadmodum in Gallia a Papiſtis ſicariis in itinere captus atque in arcem quandam abductus fuerit, ibique cum ignoraretur quiſnam eſſet, habitum ſe tamen & obiurgatum fuiſſe dicebat, tanquam *Hugonottum* (ſic in Gallia Chriſtianos vocant) *quod in ſermonibus ſuis nunquam auditus*

---

gitat, ſimulque memorat ſe Scriptum de re Iudiciaria Libris Septem comprehenſum ac prope iam ad umbilicum perductum, reliquiſſe. Nunciatum tamen ipſi ſimul dicit, eo tempore, Anno nimirum 1574. quo Heidelbergae hanc Epiſtolam ſcripſit, ingenii haec monimenta adhuc ſalua eſſe.

tus fuisset deierare : hac enim nota solebant atque etiam nunc solent in Gallia nostros a suis Papistae saepe discernere. Genevae cum diutule substitisset in Germaniam deinde venit : *Heidelbergam* accersitus ab illustrissimo Principe Friderico III. Electore piissimae laudatissimaeque memoriae. Vbi aliquot annos principem locum in Iure Ciuili profitendo tenuit, exemplumque omnibus religionis, integritatis, atque candoris nullis malis artibus, nullaque maleuolentia, infuscati, praebuit. Defuncto Friderico erat tunc temporis *Academiae Rector Donellus.* Qua etiam de causa multum molestiarum * sustinuit, peri-

* Hae molestiae caussaeque dereliquendae Academiae Heidelbergensis luculentissime patent duabus ex Epistolis, NICOLAI CISNERI *Opusculis* p. 948. adiectis, quae integrae heic adiectae Tibi Lector non displicebunt, quum insigne Vitae DONELLIANAE momentum referant.

MAGNIFICO V. D.

HVGONI DONELLO

Inclitae Academiae Heidelbergensis Rectori & Iuris Antecessori primario,

NICOLAVS CISNERVS.

S. Amicus idem meus atque idem tuus, Vir Clarissime, IVSTVS REVBERVS *Iurisconsultus*

periculi nonnihil: vocatus saepius in Aulam,

---

nuper mihi significauit, quod vocatus a Leidensibus & Professionis munere & Rectoratus Magistratu te abdicaris: Verum tanta humanitate & beneuolentia Principem Electorem tecum egisse, vt consilium tuum commutaris & Heidelbergae manere constitueris. Heri vero a L. Willero vtriusque nostrum amantissimo accepi, te instituto tuo discedendi persistere. Quod sane & propter veterem coniunctionem nostram & propter Academiam, mihi carissimam, cui tu ornamento fuisti, grauiter fero. Ac cum, quod praecipue spectare debemus; cautum tibi sit, non modo de libertate conscientiae sed & Religionis vsu, spes etiam facta sit, de accessione Salarii, quo nemo ante te amplius Heidelbergae habuit; haud scio, an ex re tua sit Leydam te ire. Vt enim ibi vberius tibi honorarium sit promissum: tamen dubito, an in illa Belgicarum prouinciarum perturbatione semper integrum sis percepturus. Deinde ex Gallia tanquam ex saeua & exitiosa maris tempestate in Germaniam quasi in Portum tutum te contulisti; Nunc vero ex loco pacato in regionem diuturnis bellis pressam, & multis magnisque incommodis agitatam te recipis, quorum finem & exitum adhuc prospicere non potes. Nam si in Conuentu Coloniae res Belgicae non componantur, & Pacificationem illam non successuram, cum multis aliis de causis, tum quod reformatae Religionis

lam, cum se nihil proficere propter cre-
bras

---

exercitium liberum id flagitantibus non permittitur; non est difficile coniectare, multos adhuc annos illas prouincias funestis bellis implicitas fore. Et quoniam non solum dissentientes verum etiam alieno inter se animo sunt Ordines illi: metuendum est, ne in dies magis atque magis Hispanorum res augeantur, ordinum imminuantur: praesertim cum pecunia ad soluenda militi stipendia, quam neruum Bellorum esse Demosthenes compertum habuit, destituantur. Ac vt per annum aut biennium Hollandiam non inuadant: tamen, si vicinas prouincias Hispani, qui iam Geldriam oppugnant, in suam adduxerint potestatem, praesertim si nauigationem Rheni interceperint, maximis propinquiores Hollandiae Ciuitates rerum ad victum necessariarum difficultatibus conflictabuntur. Ac ne ea vel iam, vel futura sit annonae caritas timeo, vt duplo aut triplo emendum sit, quod simplo Heidelbergae comparare potes: id quod de vini pretio, mihi dubium non est. Accedit aër crassus & aequo humidior, qui ne constitutioni corporis tui conueniat vereor; cum iam in commodo & salubri loco degas. Adhaec plus Iuris studiosis Heidelbergae, quam Leidae prodesse potes. Neque enim isthuc tam multi ex aliis regionibus confluent, cum nec tuto vndique isthuc proficisci queant, neque se facile periculis, quae imminere sibi metuunt, obiicere

bras interpellationes videret, oratione mu-
tata

---

velint. His omnibus de causis & tutius & satius esse existimo, vt Heidelbergae commoreris, quam vt in Hollandiam abeas. Et cum tot annos Academiam Heidelbergensem docendo interpretandoque iure illustraris, cogitandum tibi relinquo, an quam tua opera, & pro tuo officio Scholam excolueris eam nunc deserere, vel possis, vel debeas. Haec optimo & amicissimo animo erga te profecta, oro, ne in malam partem accipias: quanquam & pro sinceritate ac rectitudine mentis tuae & amicitia nostra sciam, te iniquo amico non suscepturum, mihi quoque veniam dabis, quod pro Gymnasio Palatinatus, in quo natus & educatus sum, & cui pro virili operam studiumque meum nauaui sim solicitus. Molestum enim mihi esset, si quo tempore mihi ad vos migrandum sit eodem tu inde emigres. Cogitabam enim & iucundissima tua consuetudine frui, & Academiae vestrae, quibuscunque in rebus possem opera studioque meo adesse, quod a me illa quasi iure suo & postulat & flagitat. Neque vero ideo haec scribo, quod vel meas cogitationes vel λογισμὲς prudentissimis tuis anteponam consiliis, cum & ingenio me longe excellas & doctrina superes, aetateque antecedas, sed quod & sententiam meam tibi exponam & affectionem in te declarem, & quod, iuxta illud Thaletis Milesii, nihil sit difficilius quam in suis rebus sibi ipsi

tata *Gallice* loqui coepit, Principique ſe Cle-

---

conſulere, nihil facilius quam alii in alienis. A me ſi omnia officia veri amici expectaueris, non fallam opinionem tuam. Bene vale, Vir Clariſſime, Spirae VI. Kalend. Auguſti. Anno Domini 1579.

His ita reſpondit cauſſaſque mutationis aperuit Donellus Noſter:

CLARISSIMO ET AMPLISSIMO V. D.

NICOLAO CISNERO

Imperialis Camerae Aſſeſſori aequiſſimo, Domino & Amico obſeruando,

HVGO DONELLVS.

S. D. Accepi literas tuas, vir clariſſime, quibus me hortaris, vt depoſita Leidenſis conditionis cogitatione Heidelbergae maneam. Omnia in eam ſententiam ſcripta, quae ab amiciſſimo animo, & ſtudioſiſſimo mei profecta agnoſco & ſentio: quo mihi fuerunt iucundiora. Itaque vt huic animo reſponderem, cupiebam ſtatim reſcribere. Sed inciderunt literae tuae in id tempus, cum de eo quod ex me ſcire volebas, certi ſcribere nihil poſſem. Nam aduerſus illam inquiſitionem, quae in Senatum noſtrum anteceſſerat, & quae me in inſtituto plane confirmauerat, noua quaedam conuerſio inſtitui videbatur; ſed ita vt res adhuc pende-

ret: quo fiebat, vt & ipse de discessu nihil certi aut constituti haberem. Nunc, cum in eo quod instituebatur, aliquid videre coeperim, iam facilius de iis, quae cognoscere velle visus es, tibi respondebo: & ita, vt sperem, me, quod scribam, & amicitiae nostrae & iudicio tuo esse probaturum. Audisti, vt video de Conditione. Exstitit deinde ea conditio, & quidem ita, vt omnia in eas leges, quas dixeram, sint a Leidanis & ordinibus Hollandiae delata prolixe, & publico Instrumento vna & Ordinum Hollandiae, Ciuitatis, Academiae, sigillis & subscriptionibus confirmata, quod Instrumentum apud me est, vna cum litteris publicis, quibus ab iisdem illis promissi admoneor. Ea impleta conditione, nihil mihi relinquebatur, nisi vt de fide praestanda primo quoque tempore cogitarem. Ita Quaestio huc redit, non an fidem seruare debeam, postquam conditionem accepi & me obstrinxi; sed an oblatam initio conditionem recte susceperim. Magnae vero causae fuerunt, cur susciperem. Vocatio erat honestissima, & cum dignitate, & quod ad significationem voluntatis DEI accedebat, a me nec expetita, nec cogitata. Quo tempore autem conditio oblata? quo mutationem huic loco impendere ominabantur. Tantam commoditatem, tam in tempore oblatam reiicere hominis parum sani; vocationem DEI in ea oblatione non videre, parum intelligentis, cognitam non sequi, etiam improbi & aduer-

sus

sus benignitatem eius ingrati videbatur. Audiebantur praeterea hoc loco quotidie istorum hominum turbulentae conciones quibus falsa testimonia aduersus nostros dicendo, plebi persuadere conabantur, nostros & Iudaeis, & Turcis & Diabolis ipsis esse deteriores; se nostros Diabolo tradere dicebant; plebem aduersus nos, omni contentione concitabant. Et parum erat causae, cur tanta opportunitate recte discedendi oblata, ego illorum hominum clamoribus & falsis criminationibus cederem. Sed praecipue Religio me commouit. Didiceram enim a Legato eius vocationis, homine & docto & pio, & mihi amico, vocari me in ea loca, vbi & linguae Gallicae & Religionis eius, quam colo, publicus vsus esset. Quae cum omnia concurrerent ad amplectendi voluntatem, parui DEI voluntati, & benignitatem eius tam opportune se dantem religiose & cum gratiarnm actione sum complexus. Nec dubium, quin factum meum omnibus bonis & amicis probaretur; quod & contigit, ac nisi me prudentia tua admodum fallit, rebus ita constitutis tu primus esses, qui consuleres, ne conditionem a me amitterem. Accepta conditione cum iam de fide soluenda ageretur, & tabellarius apud me hic esset, statim renunciaui locum Senatui, quo officium meum Leidensibus probarem. Rogatus postea Illustrissimi Principis mandatu, quas haberem causas eius renuntiationis, superiores illas & alias nonnullas reddidi. Quibus cognitis egit, fateor,

mecum Illustrissimus Princeps quam clementissime & humanissime, ne vellem discedere. Egit autem ita, vt polliceretur & mihi & collegis liberum exercitium religionis: aduersus collegas nihil se statuturum contra leges & statuta Vniversitatis; daturum se operam, vt fides mea apud Leidenses quam honestissime liberaretur, & alia nonnulla ad stipendium & alias res pertinentia. Haec clementia facile me vicit, vt me ipsius Celsitudini istis conditionibus libenter subiicerem. Vide, quae sint sequuta. Vix intercesserant pauci dies, cum illa solennis Inquisitio in nos & Senatum totum Academiae instituta est: de qua, credo, nimirum audiuistis. In ea quam indigna constituta sint aduersus Leges & Statuta Academiae, malo te ex aliis quam ex me cognoscere. Certe quidem haec acta sunt. Nos praesente quidem Principe, attamen non Principi, sed S. E. qui tum fere solus sedebat cum solo scriba, ad eius examen & inquisitionem de rebus non minus ciuilibus, quam diuinis traditi sumus. Petentibus nobis spatium vnius dieculae ad causas Principi maturius exponendas, propter quas talibus iudicibus respondere non deberemus; aequissima postulatio repudiata est. Hac repudiata iussi sumus respondere ad ea, se singulis seorsim proponerentur, & iussi nominatim pro potestate absoluta. Allegantibus fidem & religionem iurisiurandi, qua Academiae & Rector & Senatores obstricti sunt, responsum est magno supercilio, Principem pro

eadem

eadem potestate absoluta remittere omnibus ius iurandum: & pro hac ipsa potestate iussi sumus respondere. at quibus iudicibus? non modo indignis, sed etiam, quod omnes norunt, praecipua quadam ratione suspectis, nempe capitalibus inimicis, vt quotidianae ipsorum conciones testantur. Rector autem seorsim vocatus, & interrogari coeptus, cum in fide & religione muneris manere constituisset, non modo pro Rectore habitus non est, sed ne pro baiulo quidem, ac diu protelatus diuexatusque vt responderet; cum id ab eo obtineri non posset, non sine contumeliis ac minis dimissus est; scilicet quia nolebat violare iusiurandum; quia Iura collegarum & Vniuersitatis suae fidei concredita prodere nolebat. Cum pergeret Inquisitio in ceteros omnes, idque tanto nostri ordinis contemtu, vt nostri etiam in priuatas domos ab istis inquisitoribus pro imperio vocarentur; cumque de indignitate ne querendi quidem locus esset: feci, quod vnum reliquum erat, vt, quoniam alia omnia denegarentur, in priore vocatione manerem, & ne eadem, quae prius, iterum audire aut pati cogerer, statim me Rectoratu, vel verius Rectoratus titulo & vmbra abdicarem, quod tribus diebus post illam Inquisitionem a me factum est, admittente & approbante Senatu Academico. Eodem tempore moti superioris inquisitionis indignitate ac probro, renunciarunt locum suum Senatui Academico D. Dobbinus, & D. Lanoius, & fecissent idem ceteri, si per

 facul-

facultates & commoditates rei familiaris facere licuisset. Si bene animum tuum accepi, non puto hic quicquam a me factum esse, quod tibi ipsi non probetur. Hortaris enim me, vt maneam, sed in Academia Heidelbergensi. Hoc ego sic accipio, vt si nulla sit Academia, non suadeas esse manendum. Atqui superiore actione ea omnia, quibus ius & dignitas Academiae stabant, ita illi sunt ademta, vt iam illi libertate vetere praescriptione fori ante 200. annos vsurpata, praeciso iureiurando, quo veluti neruo illa sustinebatur, iudicibus non tantum indignis, sed etiam animo infensissimis hostibus subiecta sit: Academiam si mihi dari velim, liberam cupiam, in serua nolo manere, vbi liceat contra leges, quicquid libet. Suades praeter ea, vt maneam; sed quia Princeps superiora illa, quae dixi, promiserit. Quid ergo, si illa non praestantur? quid si fiant, diuersa omnia? Nempe hoc suadere te intelligo, ne sequar, neue priorem conditionem, quae integra est, deseram. Et quaeso hoc est liberum religionis vsum dare, vbi contra etiam religionem iurisiurandi facere cogaris? & dabunt isti perpetuo liberum exercitium religionis, qui religione vti volentibus, ne vnum quidem diem ad deliberandum num recte vterentur, nec ne concesserunt? Quid: an nihil factum est aduersus Collegas contra leges & statuta Academiae, cum non dico manifestissima priuilegia his ademta sunt, sed ne ea quidem relicta,

quae

quae omnibus legibus & maleficis tribuuntur; qualis est modici temporis ad excusationes & causas iuris sui recte proponendas dilatio? Ergo cum certa sint, propter quae me admonendum hortaris, intelligo, his non secutis, tuo ipsius iudicio fieri, ne manere debeam, vere tibi adfirmo, si mihi in Academia libera, in timore DEI, & ea religione, quam colo, hic viuere licuisset, nihil mihi optatius fuisse, aut etiam nunc esse, quam vt Illustrissimo Principi gratum officium praestare possem. Nunc cum quidam Academiae libertatem suam non concedant, religionis etiam nostrae confessione & libertate offendantur, nihil restare video, nisi vt si etiam alia conditio proposita non esset, tamen nihilominus de discessu cogitem. Illud autem eo magis, quod non iam deliberatur, vtrum eam suscipere debeam, sed cum recte susceperim, necessitas fidei praestandae imponitur. Atque vt de oblata, suscipienda tantum ageretur non video, cur ea quae posuisti, me ab ea cogitatione deterrere debeant. Liber Religionis vsus mihi hic relinquitur. Quam liberum exspectare postea debeam, si priora examina manserint, animadvertis: Quanquam illa libertas, quaecunque hic esse poterit, non alia futura est, quam vt propter longinquitatem locorum, quater ad summum in anno audiam alibi conciones & coenam Domini participem. Illic, quo vocor, quotidiana verbi auditio erit, quotidianae publicae preces; si non mihi linguae forte vsitatae

imperito, at certe familiae, cuius curam gerere debeo. Honorarium hic non minus ostenditur. Vtinam de honorario ageretur, tantum. Iam pridem sublata fuisset omnis deliberatio: Pro magno honorario fuisset optima voluntas principis. Si satis perspecti antea tibi fuerunt mei mores, confido me tibi ita innotuisse, vt animum ab auaritia & anxia quaestus cupiditate alienum agnosceres. Veni ex Gallia in Germaniam tanquam portum. Et mihi Germania portus fuit, sed quamdiu in ea bona conscientia Deo seruire & tranquille viuere licuit. Nunc postquam falsis criminationibus, turbulentis concionibus omnia infestantur aduersus nostros, & nullus est defensioni, nullus honestae deprecationi locus: quibus in locis id fit, ea mihi portus esse desierunt: & si isti imperium, quod affectant, amplius sibi confirmauerint, haud scio, an apud istos, quam apud Papistas futurum sit clementius. Recipio me in regionem diuturnis bellis & magnis incommodis agitatam. Sed illa in Hollandia & Zelandia iam pridem desierunt, vt iam, vti nunc sunt res & tempora, nullus prope sit locus illis regiminibus pacatior: Vbi inter ordines eorum locorum summa est concordia; vbi exterus procul eiectus hostis, nullus domesticus apparet. Sed metus est ab externo hoste Hispano. Etsi, vt audio, Hollandia & Zelandia: dum erunt concordes, & omnes ciuitates obtinebunt, vt nunc obtinent, non valde metuunt Hispanos,

aut

aut vllam facile externam vim: tamen cum de hoste quaeritur, satius duco versari in iis locis, in quibus externum hostem habeas, quam in quibus domesticum quotidie non sine periculi, praesentis metu experiri cogaris. Atterentur commoditates illarum regionum bello, & commeatu rerum necessariarum ex vicinis ciuitatibus interclusio, magnis difficultatibus & magna caritate annonae illae regiones prementur. Vt vilitas annonae eo me non attrabit; sic nec inde deterrebit caritas annonae & victus nonnulla difficultas. Vino multo non egeo. Ad exiguum emendum semper satis futurum est. Cetera prope omnia audio illic viliora esse, quam in his regionibus. Et DEO gratia, quod tantum est stipendii, vt difficultates annonae tolerare possim. Sed periculum est, ne in hac earum regionum perturbatione non semper integrum sim percepturus. Vt praesentia se ostendunt, non est, quod ibi metuam. Sed quid futurum sit, quod ignoramus, DEO committendum est, non periculum antequam prospiciatur, metuendum. Quod si omnia non prouisa metuere volemus, non minus & hic erit, quod metuamus, fortasse etiam magis, vt se factiosorum quorundam & turbulentorum hominum consilia progressus in Germania hactenus habuerunt. Aërem crassum & humidiorem in illis locis metuerem, nisi de Leida, quod ad situm & elegantiam vrbis attinet omnia salubria, ornata, & ad admirationem vsque etiam com-

posita omnium sermonibus nunciarentur. Dum autem tot annos ferre potui paludes Biturigum, fortasse & nonnullam crassitiem illius aëris ferre potero. Mallem Heidelbergae aere frui, sed vbi non licet, & me Deus alio vocat, delicatum me in hac re esse non conuenit. Quod scribis non tam multos auditores Iuris Leidae futuros, quam Heidelbergae; nisi me fallit genius vtriusque loci, ego contra euenturum puto. Sed hoc incommodum (si quod tamen est docenti) non moror. Vellem mille auditores quotidie docere, si fieri posset, vt ad plures opera mea perueniret. At si non contingunt, aut si etiam pauci contingunt, dum fidem praestem & diligentiam, didici esse securus, vt qui sciam hic seruire DEO, qui superiora illa tantum a nobis exigit: Vtrum autem multi sint auditores, an pauci etiam apud praestantissimos & fidelissimos, in eius esse potestate. Academiam Heidelbergensem non tantum amaui antea, sed etiam prope vt parentem colui & summum studium fuit, vt excolerem, nec vnquam nisi inuitus ab ea discedam. Sed cum, vt dixi, res ipsae, propter quas manere velim ac debeam, sublatae sint, illuc redeo: manendi voluntas tollitur. Necessitate autem discedendi hoc amplius accedente, nihil relinquitur, nisi vt DEO paream. Haec scripsi non a te dissentiens, sed vt arbitror, idem sentiens maxime, si modo de conditione & praesenti statu rerum perinde tibi constaret vt mihi. Consilium quidem tuum

adeo

adeo mihi iucundum fuit, vt non potuerit quidquid accidere iucundius. Nam praeterquam quod singularis doctrina, quae vere tua est, in eo mirifice me delectauit, vt cui ad bene suadendum nihil defuit: animaduerti etiam quam esses prudens, quamque ea scripseris, quae fateor inprimis esse expendenda. Sed praecipue in eo amicitiam perspexi, qui tam in tempore amici memineris, & tam, vt agnosco, salubriter monueris: vt si quae scripsisti, non sentiam, ab amicissimo animo profecta esse, nec sim is, quem ista amicitia dignum iudicasti. A me vero dum viuam, eiusdem animi officia DEO dante tibi constabunt. Bene vale, vir clarissime. Heidelberga Cal. Aug. 1579. Adde HENRICVM ALTINGIVM *Historia Ecclesiastica Palatina* qui p. 231. haec refert: *Cum* DONELLVS *Magnus IureConsultus apud Principem optimam causam defendere voluisset, eum seditiosum hominem noui eius Scholae Theologi calumniati sunt: etiam se principi opposuisse: suam caussam voluisse aduersus Principem defendere.* Paucisque de Collegii Sapientiae Heidelbergensis alumnis, interiectis: *Hoc modo florentissima illa vinea ab Electore Friderico III. ad Rheni & Neccari fluenta, summa cura consita & culta,, subito deuastata fuit.* AVCTOR Vitae Donelli inter *Vitas Professorum Leidensium* p. 244. *aliquot annos in Heidelbergensi Academia sub Friderico & Ludouico Electoribus, Ius Ciuile cum maxima Auditorum admiratione docuit. Inde* ob graues Causas *Lug-*

Clementiſſimo * purgauit. Simile exemplum memini in hiſtoria Italica legere Ludouici Sfortiae Mediolanenſium Principis; is enim cum coram Imperatore Carolo V. qui tunc Bononiae erat, obiecta crimina diluere ſupplex conaretur, interturbante ſaepius Hiſpano, neſcio quo, (Antonium de Leua fuiſſe arbitror) & quaſi redarguente, ille repente Germanico Idiomate vti coepit, atque ita importuno illi interpellatori os obturaſſe dicitur. Facta eſt ab Illuſtriſſimo Principe manendi & in munere ſuo pergendi Donello poteſtas: ſed fruſtra. In Belgium vna cum coniuge, ma-

dunum Batauorum commigrauit. Illud ad poſtremum obſeruo PETRVM BAYLIVM *Dictionario* hoc Nomine vocationem Lugdunenſem in annum 1575. referre, quod ſi temporis annotationem praecedentis Epiſtolae reſpicimus, de eo intelligendum eſt tempore, quo primum cum DONELLO, de eodem euocando, actum fuit.

* Ludouico Electori, Principi vel Reformatis quibus ſatis erat infeſtus, laudato. Quibus de rebus compara omnino illuſtris Viri BVRCARDI GOTTHELFFII STRUVII, Patroni & Hoſpitis mei indulgentiſſimi *Hiſtoriam Palatinatus Eccleſiaſticam Cap. XVI. §.* cum primis *VI. & VII. p. 301. ſeq.*

matrona lectiſſima *, quae nunc miſera doloribus ac moeſtitia debilitata plane iacet, profectus eſt. Inſtituerant per ea tempora *Hollandi* Academiam *Leidae*, in Vrbe ampla & lauta. Ad quam ornandam & quaſi extruendam vocatus ſtatim fuit Donellus, ** procurante & adiuuante fortiſſimo illo, ſapientiſſimoque WIL-

* Quam Anno MDLXXIII. duxit, quod Epiſtola PETRI FABRI ICti elegantiſſimi confirmat, hoc anno *Rupellae* Calend. Iun. perſcripta, quae inter *Opuſcula* DONELLI *Poſtuma p.* 285. extat, qua Coniugium ipſis animo atque ex animo gratulatur, *lectiſſimamque & optimam feminam* vocat, quam abſentem continuo fuerit oſculatus, confirmatque ſe, tum, quod DONELLI ſit, tum quod ea *elegantia* ſit, in ipſius qua nunc ſit, magis poteſtate eſſe non poſſe.

** Adde HVGONEM GROTIVM & Academiae & DONELLI noſtri grauem laudatorem *Lib. V. Hiſtoriarum de rebus Belgicis p.* 377. *Breui Batauorum Schola & fama praeceptorum & ſuae externaeque iuuentutis accurſu multum praefulſit. Ciuile Studium Doctorem habuit Hugonem Donellum, qui Connani & Duareni veſtigiis inhaerens, legum diſciplinam in ordinem artiſque modum compoſuit, reciſis quae ſuperioris aeui ſecura nimium imperitia turbarat, non tamen vt recentiori inertiae accederet, quae nudo verborum cultu ipſam eius ſapientiae vim infregit.*

WILHELMO NASSAVIO, *Auriacae Principe*. Et iam in eo loco docebat IVSTVS LIPSIVS vir florentiſſimus. Horum duorum fama atque auſpiciis dici vix poteſt, quam breui *Leidenſis* Academia adoleuerit, confluente vndique ex omnibus oris Iuuentute. Hoc loco in Donelli notitiam ego quoque perueni, mox etiam in familiaritatem. Fuit enim, vt noſtis, ad amandum valde pronus ac benignus, nec quemquam ego hominem magis liberum apertumque cognoui. Quare factum eſt, vt odiis nonnunquam & offenſionibus patuerit, ignarus ſimulandi. Turbae* erant *Leidae* & in omni Hollandia tur-

* Ortae hae Anno M. D. LXXXVII. quum *Robertus Dudlaeus* Leiceſtriae Comes copiis auxiliaribus Brittannorum ab Eliſabetha Regina miſſis, Belgisque deinde Federatis certa lege praefectus, maius adfectans Imperium, de intercipiendo aſtu Lugduno, vbi plures ſuae habebat factionis, conſilia agitaret, de quibus omnibus copioſe accurateque exponit EVERARDVS REIDANVS *Annalibus Belgarum Lib. VII. p. 157. ſeq.* nominaque coniuratorum recitat, quibus inter Adrianus Sarauia ſacrarum literarum in Academia Lugdunenſi Profeſſor. FAMIANVS STRADA *de Bello Belgico Decade Secunda Lib. IX. p. 514.* nomina reticet memorat tamen: Leiceſtrio validiora, quam Alenconio idem molienti, adfuiſſe populorum ſtudia, ac

turbulentiſſimae, nec minores, quam in pro-

professoriae potiſſimum linguae concionalium miniſtrorum, a quibus auctoritatem ordinum in Anglos transferre, cupientibus, vltro incitabatur, vt aliquid ſupra inane Praefecti nomen auderet. Donellum autem noſtrum ea Anglis ſtudentium ſocietate incluſum fuiſſe graues ſunt teſtes HVGO GROTIVS, qui Hiſtoriarum de rebus Belgicis Lib. V. poſt laudes Academiae Lugduno-Batauae, Donelloque noſtro, qui ſingulare huius decus erat p. 377. ſcriptas p. 378. Edit. Amſtelod. a. 1658. 12. excuſae, ſubiungit. *Sed hunc contactu Liceſtrianarum partium eo abreptum vt ſui ſtudii haud minimum, quin & priuati, & inquilini officia obliuiſceretur, & inde vilem Altorfia excepit.* VLRICVS HVBERVS *Hiſtoriae Ciuilis Tom. II. p. 413.* his verbis: *Inſidiae quoque Ciuitatibus Hollandiae occupandis nominatim Dordraco Leidaque factae ſunt, vbi proditores quidam capite, & Hugo Donellus Iuris Antecesſor exilio mulctati ſunt.* THVANVS *Lib. LXXXVIII. p 224. Edit. Geneu.* ad a. 1587. HVGO DONELLVS *Iuris ſcientia clarus, eamque diu Auarici Biturigum profeſſus, qui ob religionem Lugdunum conceſſerat, quod conſilio participaſſe* CREDERETVR, *a Senatu monitus, vt alio migranet, Altorfium ſe contulit, vbi Norimbergenſis Reipublicae ſtipendiis ad mortem vſque docuit.* De his omnibus autem AVCTOR *Narrationis Breuis*, de Vita Donelli, quae inter Vitas Profeſ.

proximo Oceano, fluctus. His ablatus ac pene absorptus Donellus fuit, aliique summi viri, quos in diuersas oras ea tempestas disiecit quosdam & mersit. Donellus in Germaniam, quam antea veluti parentem benignam expertus erat cursum direxit, eamque longo post interuallo (nam octo, vt opinor, annos, in Hollandia fuit) cupide tanquam regustauit. Vix pedem in ea posuerat, cum Amplissimus *Noribergensis Senatus* eum liberalissime *Altorfium* inuitauit.* Cui Academiae iam pridem illum fata debebant. Nam ante aliquot annos eidem Senatui operam suam addixerat. Sed interuentione Auriaci Principis, fide eum & sponsione liberantibus Noricis, in Hollandia restitit, stipendioque auctus est. Interea quem adfectum erga nobilissimum illum Senatum diu inclusum animo gesserat, oblatione libri Commentariorum in praecipuos quosdam Iustiniani Codicis titulos pro-

sorum Leidensium p. 244. comparet, plane tacet.

* Anno M. D. LXXXVIII. in Germaniam abiit, a Senatu Norico Altorphium vocatus, vixque per triennium Ius professus, qua solebat fama, vitam cum morte commutauit Anno M D XCI. aetatis LXIV. AVCTOR *Narrationis Breuis de Donello inter Vitas Professorum Leidensium p. 244.*

prolixe teſtatus eſt, quem eundem adfectum vehementer in eo poſtea auxit, dum hic fuit, praeſtantiſſimorum in ea Re publica Virorum in eum charitas * perpetuaque munificentia, adeo vt ſaepe mihi dicere ſolitus fuerit, videri ſibi *Noribergenſes Dominos* conſecutos difficilimam illam ſocietatem humanitatis cum grauitate. Macte gloria & laudibus iſtis Senatus Ampliſſime! Tot honoribus ac beneficiis magis magisque incitatus Academiam hanc tenerrime complexus eſt atque ornauit, perfecitque vt breuiſſimo tempore celebritate nominis inter vetuſtiſſimas Germaniae Academias recens ipſa aſſurgeret. Vetus ſententia eſt *vbi Imperator eſt, ibi & Romam eſſe.* Non iniuſte ego quoque dixero: *vbi Donellus vixit*, cuius nunc mihi loquenti facies & os illud vere generoſum ac probum ante oculos obverſatur: *vbi* inquam *vir ille vixit, eodem in loco ſimul Iuris prudentia celebritaſque verſata eſt.*

* Comiter admodum a *Dominis Noribergenſibus* habitus, ita quidem, vt ipſimet Conſules Norimbergenſes eidem *Excellentiae* titulum tribuerint, vti ex Epiſtola patet, quae inter Opuſcula Poſtuma p. 260. reperitur, qua illum de caſu Iuris dubio conſulunt, vtque quid ſibi de quaeſtione propoſita rectum iurique conſentaneum eſſe videatur, *benigne* oſtendat, etiam atque etiam petunt.

est. * Vt reliqua ornamenta ac monumenta sileam, quantum hoc est, quod *Commentarios* illos de *Iure Ciuili* ** in hac Academia expolire & in lucem emittere coepit. *** De qui-

* De ingenii animique dotibus tacet Gentilis. Auctor vero Breuis Narrationis, quae inter Vitas Professorum Leidensium cum Icone DONELLI p. 243. exstat, memorat: *Memoria prae ceteris adeo praecelluisse, vt totum Iuris Corpus a capite ad calcem verbo tenus recitaret.*

** In hos Commentarios, in breui Elogio ipsius Imagini, quae in IANI IACOBI BOISSARDI *Icon. Viror. Illustr. Parte III. N. XLIII.* comparet, Anonymi hoc Distichon refertur:

Quod voluit Cicero, Crassus, Pompeius & ipse
Caesar, qui nobis praestet, hic vnus erit.

*** Horum Partes duas Libros priores XI. complexas, Consulibus Senatuique Noribergensibus dedicauit, horum in se humanitatem & munificentiam insigniter praedicans *Saepe* testibus *Paulo Mondekens* ceterorumque heredum *Susannae Donelli* Vxoris, Dedicatione Partis Tertiae, *audita eius vox, id vnum optantis, vt Iure Ciuili Populi Romani, in quo omnibus rebus posthabitis se totum collocarat, explicato atque descripto, tum demum ex his terris in beatam illam piorum vitam patriamque migraret.* Paucisque diebus ante quam diem vltimum obiret, in lectulo iacens & ab vxore interrogatus, quid

quibus ita ſentio, & vos pariter omnes mecum, nihil Rei publicae literariae adeoque communibus omnium vtilitatibus accommodatius, nihil perfectius ab vllo homine inueniri potuiſſe. Quod ille opus ſi abſoluiſſet, vt facturus breui videbatur, nae infinitis moleſtiis, ac tot librorum coemendorum ſumtibus Iuris Ciuilis ſtudioſos ſubleuaſſet. Adeo omnia vir ille ornate ac diſtincte veluti regionibus deſcripta diſpoſuerat, noua quadam, ſed naturae tamen & rationi conuenientiſſima methodo vſus. *

H Lucem

---

de libris, & commentariis ſuis fieri vellet, reſpondit, Tertiam Partem perfectam atque editioni paratam eſſe, de aliis rebus ab vxore interrogatus, ſatis eam per ſe ſapere dixit, teſte S. Gentile Praefatione Partis Tertiae.

* Spero, Tibi *Lector Erudite*, rem haud ingratam eſſe, legere heic, nobiliſſimi Operis Oeconomiam atque hiſtoriam, verbis Scipionis Gentilis exquiſitiſſimi Iuris Conſulti, editoris Praefatione Parti Tertiae praemiſſa, expoſitam: *Diuiſit*, his Commentariis *totum Ius Ciuile*, *in* Partes Duas, *in cognitionem Iuris noſtri, & in eius obtinendi rationem.* Priorem *illam* Partem, *volumine* (ſ. Parte) *tertio terminauit atque ipſe abſoluit.* Poſterior *in Iudicii conſtitutione poſita eſt. In qua Parte quouſque Donelli induſtria progreſſa fuerit, breuiter exponam. Eſt enim penes me volumen quartum, ſiue Quarta Pars ho-*

rum commentariorum mole non inferior, huic quam modo editam vides. Scriptus liber est Donelli ipsius manu gallicis Characteribus, (pinxit enim & Latine elegantissime) sed manu nescio, an vltimae curae: suspicor tamen vltimae. Nam & species literarum ita recens est, vt non multo ante scriptus videatur, & emendatus multis in locis atque interpolatus, nihil ad editionem defuisse vt videtur, praeter clariorem, mundioremque descriptionem. Cuius Partis deinde specialiorem Dispositionem enarrat, quam hic recitare superuacaneum puto, subiungit inde: *In hac Diuisione atque in hoc conatu Quartum Volumen Commentariorum, abscissum abruptumque est, nulla earum partium explicata. Sed venere in manus meas alii quidam libelli Chirographo illi quidem, vt adparet Donelli perscripti, sed ante annos, opinor triginta & amplius, vt & charta ipsa & literarum color vetustate fere oblitus facile demonstrant. Eos cum inspicerem, animaduerti ad Commentarios Iuris Ciuilis pertinere, vt hinc intelligas quanto iam tempore in hanc vnam curam Donellus incubuerit Iuris Ciuilis in artem redigendi. Sed cum hi libelli dissuti atque confusi essent, neque ordo a me primo vllus perspiceretur, cepi diligentius eos euoluere ac recensere. Tandem sic reperi: De in ius vocatione, quae est prima ordinis iudicii pars aliquot titulis est in his Gallicis chartis explicata. Post hanc sequitur*

rat propter quam tantopere Seruium Sulpi-

Pars de Litis contestatione, eaque etiam integra est. In tertia quae causae cognitionem disceptationemque continet locus est totus de Probationibus praetermissus. Sed qui aliunde, ex eius videlicet editis ad eos Titulos D. commentariis suppleri potest. Quarta eademque postrema ordinis iudiciarii pars diligenter ac prolixe in his libellis explicatur, sed non continenti oratione aut methodo, verum iusto (vt ipse auctor praescripsit) commentario in nobilissimum illum D. de Re iudicata, & de effectu sententiarum titulum, singulis legibus suo loco expositis. Ex quo titulo, & commentario quartae & postremae itidem partis totius Iudicii, quam in fine agendi positum esse supra diximus, cognitionem, nisi fallor, hauriri Donellus voluit. His rebus sic transactis, totoque iudicii primi tractatu sic explicato, ad iudicium adpellationis egressus, integrum librum ei tribuit. In fine tamen de Arbitris titulum adiungit, qui est postremus titulus & clausula vniuersae commentationis de iure priuato a summo viro constitutae, tantisque laboribus ac lucubrationibus elaboratae. Dixi de Iure priuato. Nam de publico non instituerat, opinor, Donellus. Nullum certe eius vestigium in his Schedis vidi. Parte Quarta Gentilis, quasdam paginas quae perierant refecit atque restituit, vti ex Epistola ad *Adrianum Borckium*, Camerae Adsessorem cui dedicauit, patet, qui & Epistola ad *Christopho-*

tium Cicero commendauit. Quam artem qui

---

rum Firx, Consiliarium Wirtembergensem, cui *Quintam Partem* consecrauit Scipio, scribit: *Opus magnam partem a me in lucem productum est, refectum etiam ac perpolitum non paucis in locis, tum certe haec postrema Pars non illum fere magis auctorem agnoscit, quam me. Chartae erant disiectae, mutilae, plurimisque in locis inculcatae, ad hoc ab aqua pessime acceptae, prope vt literarum aspectus aciem oculorum fugeret. Ita factum est, vt & in legendo, & in describendo & in componendo magnae molestiae exorbendae mihi fuerint. quae deesse & latere in lacuna vidi, quae multa erant, suppleui, vt potui: adieci etiam atque adsui ex ipsis Donelli operibus editis titulum vnum & alterum, quod ita res, & institutum auctoris adscriptioque postulabat. Effeci denique vt hoc Commentariorum Corpus omnibus si non perfectis atque elegantibus, attamen partibus suis constaret. Nec poenitet molestiarum, aut laborum. Tuli proxime insignem fructum pietatis, cum hanc operam meam optimis & eruditissimis viris non vulgariter probari, multorum literis & sermonibus intellexi quamuis nec illud nesciam, extituros aliquos, quibus Donelli hac in parte minus consuluisse honori mortui videar, eaque de caussa ab iis etiam reprehendar, quasi iam vicerint, hanc partem dignam Donelli fama non esse. quae vt plane non esset, tamen Iuris Ciuilis studiosis gratissimam rem me facere sum arbitratus, si*

qui ſpernunt, nec aliam requirunt, quam quae a Iuſtiniano, vel vt longius eatis a Saluio Iuliano adhibita eſt : imprudenter admodum, ne dicam maligne in ea re facere mihi videntur, quos ipſe etiam initio tam excellentis operis prolixa & lacertoſa oratione confutauit, aggreſſuſque eſt magno animo opus arduum & ſummis viris antea ſaepe tentatum. Hoc enim vt reliquos nunc taceam, egiſſe Romanos illos ciuitatis principes legimus P. Craſſum, Cn. Pompe-

 ium,

vel ipſa clariſſimi Operis extrema lineamenta, eis conſpicienda proponerem. Quid? quod auctor ipſe in Praefatione Commentarii ſui De eo quod intereſt, non aliter fere huius iudiciariae partis, in qua & ſuperius volumen continetur, meminit, quam elaboratae & perfectae? praeſertim vero & nominatim expoſitionis Tit. D. de re iudic. quae expoſitio totius penultimi libri locum ſedemque ſola occupauit. Scio, videri poſſe haec ab illo paulo aliter & numero librorum & ordine diſtincta eſſe, quam nos edidimus: ſed mutauit & retexuit ipſemet multa poſtea, vt demonſtrari liquido poteſt ex chirographis eius libris, quod ſi plus non otii, ſed temporis (valde enim Typographi vrſerunt) habuiſſem nitidius a me & plenius nonnulla expoſita fuiſſent. Haec Hiſtoria Operis cuius compendium ab OSVALDO HILLIGERO factum, in omnium, qui Ciuilia Iura curate tractant manibus verſatur.

tium Cicero commendauit. Quam artem qui

---

rum Firx, Consiliarium Wirtembergensem, cui *Quintam Partem* consecrauit Scipio, scribit: *Opus magnam partem a me in lucem productum est, refectum etiam ac perpolitum non paucis in locis, tum certe haec postrema Pars non illum fere magis auctorem agnoscit, quam me. Chartae erant disiectae, mutilae, plurimisque in locis inculcatae, ad hoc ab aqua pessime acceptae, prope vt literarum aspectus aciem oculorum fugeret. Ita factum est, vt & in legendo, & in describendo & in componendo magnae molestiae exorbendae mihi fuerint. quae deesse & latere in lacuna vidi, quae multa erant, suppleui, vt potui: adieci etiam atque adsui ex ipsis Donelli operibus editis titulum vnum & alterum, quod ita res, & institutum auctoris adscriptioque postulabat. Effeci denique vt hoc Commentariorum Corpus omnibus si non perfectis atque elegantibus, attamen partibus suis constaret. Nec poenitet molestiarum, aut laborum. Tuli proxime insignem fructum pietatis, cum hanc operam meam optimis & eruditissimis viris non vulgariter probari, multorum literis & sermonibus intellexi quamuis nec illud nesciam, extituros aliquos, quibus Donelli hac in parte minus consuluisse honori mortui videar, eaque de caussa ab iis etiam reprehendar, quasi iam vicerint, hanc partem dignam Donelli fama non esse. quae vt plane non esset, tamen Iuris Ciuilis studiosis gratissimam rem me facere sum arbitratus, si*

qui ſpernunt, nec aliam requirunt, quam quae a Iuſtiniano, vel vt longius eatis a Saluio Iuliano adhibita eſt: imprudenter admodum, ne dicam maligne in ea re facere mihi videntur, quos ipſe etiam initio tam excellentis operis prolixa & lacertoſa oratione confutauit, aggreſſuſque eſt magno animo opus arduum & ſummis viris antea ſaepe tentatum. Hoc enim vt reliquos nunc taceam, egiſſe Romanos illos ciuitatis principes legimus P. Craſſum, Cn. Pompe-

 ium,

vel ipſa clariſſimi Operis extrema lineamenta, eis conſpicienda proponerem. Quid? quod auctor ipſe in Praefatione Commentarii ſui De eo quod intereſt, non aliter fere huius iudiciariae partis, in qua & ſuperius volumen continetur, meminit, quam elaboratae & perfectae? praeſertim vero & nominatim expoſitionis Tit. D. de re iudic. quae expoſitio totius penultimi libri locum ſedemque ſola occupauit. Scio, videri poſſe haec ab illo paulo aliter & numero librorum & ordine diſtincta eſſe, quam nos edidimus: ſed mutauit & retexuit ipſemet multa poſtea, vt demonſtrari liquido poteſt ex chirographis eius libris, quod ſi plus non otii, ſed temporis (valde enim Typographi vrſerunt) habuiſſem nitidius a me & plenius nonnulla expoſita fuiſſent. Haec Hiſtoria Operis cuius compendium ab OSVALDO HILLIGERO factum, in omnium, qui Ciuilia Iura curate tractant manibus verſatur.

ium, C. Caesarem, M. Tullium Ciceronem, cuius ex Libris de iure ciuili in artem redigendo exstat apud Gellium nobile de Aelio Tuberone testimonium, philosopho Stoico & ICto grauissimo. Omnes autem quominus id perficere potuerint, vel mors impediuit, vel iniqua Rei publicae tempora, aliaeque occupationes auerterunt. Donellum quidem ipsum in medio cursu incitatum & festinantem, iniecta manu mors stitit ac repressit. Cum eo animi robore adhuc esset, vt morti suae superstes dici mereatur, quia nunquam ne praesentem quidem eam expauerit. Scilicet hoc robur illi non corporis vires, quas & contumacissimus morbus & aetas plane iam fregerant: sed pietas in Deum & fiducia inconcussa addebant. Equidem a fletu vix tempero, cum cogito illum diem, qui proximus ab nouissimo fuit. Aderam illi grauissime anhelanti tacitus ac moerens: sed cum discederem eumque nomine compellans adiecissem haec verba: *Non in hoc mundo neque in hoc corpore salus nostra est, sed in Domino nostro Iesu Christo:* ille his verbis vehementer recreatus, saepius illud iterauit: *Christus fidus, fidus:* tametsi propter tumorem & vlcus impedita illi peneque obsepta vox erat. O acerbissimum diem * & nullo vnquam tempore

pore

* Obiit autem die IV. Maii Anni M. D.XCI.

pore ex animo meo delendum.

quem diem comprobat Programma funebre, sub nomine Rectoris Academiae Altorfinae EDONIS HVLDERICI Theologiae Doctoris & Professoris die VII. Maii quo iusta fiebant, publicatum, quo etiam vltima Viri ita exponuntur: *Sed aliter DEO visum fuit, qui eum ad se in vera agnitione Domini nostri Iesu Christi die IV. Maii, quadrante fere horae ante meridiem ex hac vita euocauit, sicuti studiosi Iuuenes, & alii viri docti, qui familiariter cum eo sunt conuersati, testatum faciunt, dicentes, eum huiusmodi dicta Scripturae semper in corde atque ore habuisse: Siue viuimus, siue morimur, sumus Domini: Qui habet filium, habet vitam: Beati mortui qui in Domino moriuntur: Iustorum animae in manu Dei sunt: Cupio dissolui & esse cum* CHRISTO: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Pauculis quoque ante mortem diebus, saeuo & multiplici morbo implicatus *Psalmum Dauidis Sextum* sibi recitari iussit, cuius Epica Paraphrasis a SCIPIONE GENTILI eodem die scripta extat inter *Opuscula* Donelli *Postuma p. 461.* cui celeberrimorum Virorum in Donellum Epitaphia versibus carminicis comprehensa subiunguntur. Vir summus IACOBVS AVGVSTVS THVANVS victuris suis *Annalibus Lib. C. p. 139. Lit. F.* hoc ipsi monimentum fecit: HVGO DONELLVS *clarissimus Iuris Interpres, Cabilone ad Ararim natus, qui cum primum Auarici Biturigum diu docuisset,*

MONVMENTVM * DONELLI

ALTORPHII IN TEMPLO.

D. O. M. S.

HVGO. DONELLVS. HEDVVS. NVLLI. ICTRVM. NOSTRI. SECVLI. SECVNDVS. IN. GALLIIS. INITIO. MOX. INDE. CIVILI. BELLO. FLAGRANTE. SECEDERE. COACTVS. EIDELBERGAE. DEIN. LVGDVNI.

---

post tumultum Parisiensem solum patrium vertere coactus Lugduni Batauorum (stationem Heidelbergensem omittit Vir summus) *aliquanto tempore haesit, ac postremo, ob suspiciones de quibus diximus* (Lib. 88. p. 224.) *in Altorphina Norimbergensis Reipublicae celeberrima Academia nidum senectutis posuit, & pridie Eidus Maias fatis concessit, eodem quo Cuiacius aetatis* (falso Cuiacius enim annos natus LXVIII. noster LXIIII) *anno, eo minore fama, quod illius famae voce & scriptis obstrepere tota vita pro ludo habuerit.*

* Praefixum est Parti III. Commentariorum de Iure Ciuili in Tituli parte auersa. Reperitur quoque inter *Opuscula* Donelli *Postuma p.* 484. *Breui* quoque de Donello *Narrationi* inter *Vitas Professorum Leidensium* p. 244. subiecta.

DVNI. BATAVORVM. DENIQVE. AL
TORPHII. MAGNA. CVM. ADMIRATIO
NE. OMNIVM. ET. CONCVRSV. EXTE
RORVM. IVRA. FACVNDO. ORE. DO
CVIT. OBQVE. PIETATEM. CANDOREM.
ET. HVMANITATEM. DEO. ET. HOMI
NIBVS. AEQVE. CHARVS. SENIO. TAN
DEM. CONFECTVS. VITAE. ET. MOLE
STIARVM. SATVR. PIE. ET. PLACIDE.
ANIMAM. CREATORI. REDDIDIT. AN
NO. REP. SAL. HVM. MDXCI. MENSE.
MAIO. AETATIS. SVAE. ANNO. LXIIII.
CVI. BENE. MERITO. DE. ACADEMIA.
ALTORPHINA. SCOLARCHAE. PEREN
NIS. MEMORIAE. ERGO. H. M. P. C.

SCRIPTA
HVGONIS DONELLI

Commentariorum de Iure Ciuili Libri viginti octo in quibus Ius Ciuile vniuersum singulari artificio atque doctrina explicatum continetur. Quinque Partes. Tomi Tres.

Pars Prima, quae *Francofurti* apud *Andreae Wecheli Heredes Claudium Marnium & Ioannem Aubrium 1596. f.* prodiit Libros Quinque continet.

Pars Secunda, Sextum, Septimum, Octauum, Nonum, Decimum, Vndecimum complectens ibidem apud eosdem 1597. f. recusa quae Partes viuo & procurante Auctore lucem adspexerunt.

Pars Tertia, Duodecimum, Decimum tertium, Decimum quartum, Decimum quintum, Decimum sextum refert, ibidem apud eosdem f. sed a. 1595. prodiit cura Scipionis Gentilis.

Pars Quarta, Decimum septimum, Decimum Octauum, Decimum Nonum, Vicesimum, Vicesimum primum, Vicesimum secundum exhibet ibid. ap. eosd. 1595. f. itidem cura Scipionis Gentilis.

Pars Quinta Vicesimum Tertium, vsque ad Vicesimum Octauum. ibid. 1596. f. procurante S. Gentile.

Epistola *de Iure accrescendi* ad *Albericum Gentilem IC. Lugduni Batauorum apud Dauidem Lopes de Haro 1640. in 16.*

Tractatus de *Pignoribus & Hypothecis, Francofurti apud Petrum Fischerum & Nicolaum Roth*

Roth 4. Coloniae apud Gymnicum f. de Aedilitio Edicto, De Euictionibus & Duplae stipulatione, De Probationibus, De Fide Instrumentorum, De Testibus ibid. apud eosdem.

Liber ad Legem Iustiniani *de Sententiis, quae pro eo, quod interest, proferuntur: siue de eo, quod interest. Lutetiae An. 1561. primum editus* & Francisco Albaspineo dicatus, recusus *Heidelbergae* apud *Matthaeum Harnisch 1574. in 8. & Neostadii 1580. 8. Altorfii 1589. 8.* Excudit eundem porro a Donello recognitum & Theodoro Weiero Consiliario Electorali Palatino consecratum *Gabriel Carterius 1596. 8.* inde quoque prodiit *Lugduni Batauorum 1630. 8.*

Commentaria ad Tit. π. de *Rebus creditis seu mutuo, de Iure iurando, de in Lit. iurand. de Condictione ex lege, de Condictione Triticiaria, de eo quod certo loco dare oportet, Antwerpiae apud Christoph. Plantinum 1582. f.* & *Francofurti 1626. f.*

Commentaria *in Tit. π. de Vsuris, Nautico Foenore, de Fructibus, Causa & Accessionibus, & de Mora, Lutetiae Parisiorum* apud *Michaelem Vascosanum 1556. Francofurti apud Petrum Fischerum & Nicol. Roth. 4.*

Commentarius ad Titulum Digestorum de

Rebus

Rebus Dubiis, Biturigibus 1571. 8. *Antverpiae apud Christophorum Plantinum*. 1584. 8.

Commentarius *ad Titulum* π. *de praescriptis verbis & in factum Actionibus, Heidelbergae* apud *Matthaeum Harnisch* 1574. 8. & 1580. 8.

Commentarii ad Titul. Digestorum de *Verborum Obligationibus, Francofurti* apud *Sigismundum Feyerabendium & Zachariam Palthenium* 1599. f.

Commentarius *ad Titulum* π. *de diversis Regulis Iuris antiqui, Antwerpiae* 8.

Commentarii ad *Codicis Iustinianei Partes* quasdam *Lugduni Batauorum ex officina Plantiniana apud Franciscum Raphelengium* 1587. f.

sunt ad has Partes:

ad Titulos Libri Secundi {
de edendo.
de in ius vocando.
de Pactis
de Transactionibus } in hos duos veteres Commentarii recogniti ab Auctore & repurgati ab iis, quae aliena irrepserant, ii dein multis accessionibus auctiores & meliores facti.

His

His adiunctus propter argumenti coniunctionem
Liber de Praescriptis Verbis & in factum Actionibus

ad insignes quasdam & praecipuae veluti notae L. Codicis	L. filium quem, Famil. erc.
	L. 2. de resc. vend.
	L. precibus de imp. & aliis subst.
	Auth. non licet / Auth. ex caussa — de Lib. praet. vel exhaer.
	L. eam quam, de Fideicom.
	L. si vnquam, de reu. don.

Ad Lib. VIII. Codicis.

Post mortem Donelli autem prodiere:

Commentarii absolutissimi *ad II. III. IV. V. VI. & VIII. Libros Codicis Iustinianei & Librum Digestorum XLV. de Verborum Obligationibus*, maxima fere ex parte postumi, minima viuo patre nati, a *Iacobo Schegkio*, Iacobi Schegkii, Nepote, Professore Academiae Tubingensis, Auditore Donelli attentissimo, in vsum Iuris prudentiae studiosorum publicati, Summariis, Epitomis, indice locupletati, *Francofurti e Collegio Paltheniano sumptibus Ionae Rhodii Successoris Petri Fischeri 1599.* & *1620. f.*

Quum vero editorem fugisset plura in Codicem vel a DONELLO dictata, vel ex ore

ore eius calamo excepta apud alios latere, ſubſequuta ſunt poſt biennium:

Paralipomena *Commentariorum ad Librum IV. Codicis*, ſine loci & temporis mentione certe tamen *Francofurti f.* * praemiſſa ad Lectorem Praefaciuncula, qua dolet editor ſibi haec non ad manus fuiſſe cum priora in Codicem Collectanea digereret.

* *Ludouicus Iacob* a *S. Carolo de Claris Scriptoribus Cabilonenſibus* dum *Lib.* I. p. 45. Scripta Donelli recitat, memorat haec Paralipomena e Bibliotheca *Ieremiae Reuſneri* publicata fuiſſe *Francofurti apud Ioan. Rhodium 1600. 1602. f.*

Singillatim prodiit Commentarius *ad Titulum C. de Pactis & Transactionibus Biturigibus 1572. 8. Pariſiis 1573. 8. Coloniae* apud Gymnicum *1574. 8.*

Commentarius ad Titulum Inſtitutionum *de Actionibus, Antwerpiae 1581. 8.* excudit iterum *Gabriel Carterius 1596. 8.* & *Lugduni Batauorum 1630. 8.*

Opuſcula Poſtuma, & aliorum quaedam ex Bibliotheca *Scipionis Gentilis*, *Hanouiae 1604. 8. Typis Wechelianis apud Claudium Mar-*

Marnium & Haeredes Ioannis Aubrii quibus continentur:

Metho-

rum commentariorum mole non inferior, huic quam modo editam vides. Scriptus liber est Donelli ipsius manu gallicis Characteribus, (pinxit enim & Latine elegantissime) sed manu nescio, an vltimae curae: suspicor tamen vltimae. Nam & species literarum ita recens est, vt non multo ante scriptus videatur, & emendatus multis in locis atque interpolatus, nihil ad editionem defuisse vt videtur, praeter clariorem, mundioremque descriptionem. Cuius Partis deinde specialiorem Dispositionem enarrat, quam hic recitare superuacaneum puto, subiungit inde: *In hac Diuisione atque in hoc conatu Quartum Volumen Commentariorum, abscissum abruptumque est, nulla earum partium explicata. Sed venere in manus meas alii quidam libelli Chirographo illi quidem, vt adparet Donelli perscripti, sed ante annos, opinor triginta & amplius, vt & charta ipsa & literarum color vetustate fere oblitus facile demonstrant. Eos cum inspicerem, animaduerti ad Commentarios Iuris Ciuilis pertinere, vt hinc intelligas quanto iam tempore in hanc vnam curam Donellus incubuerit Iuris Ciuilis in artem redigendi. Sed cum hi libelli dissuti atque confusi essent, neque ordo a me primo vllus perspiceretur, cepi diligentius eos euoluere ac recensere. Tandem sic reperi: De in ius vocatione, quae est prima ordinis iudicii pars aliquot titulis est in his Gallicis chartis explicata. Post hanc sequitur*

rat propter quam tantopere Seruium Sulpi-

H 2 tium

Pars de Litis contestatione, eaque etiam integra est. In tertia quae causae cognitionem disceptationemque continet locus est totus de Probationibus praetermissus. Sed qui aliunde, ex eius videlicet editis ad eos Titulos D. commentariis suppleri potest. Quarta eademque postrema ordinis iudiciarii pars diligenter ac prolixe in his libellis explicatur, sed non continenti oratione aut methodo, verum iusto (vt ipse auctor praescripsit) commentario in nobilissimum illum D. de Re iudicata, & de effectu sententiarum titulum, singulis legibus suo loco expositis. Ex quo titulo, & commentario quartae & postremae itidem partis totius Iudicii, quam in fine agendi positum esse supra diximus, cognitionem, nisi fallor, hauriri Donellus voluit. His rebus sic transactis, totoque iudicii primi tractatu sic explicato, ad iudicium adpellationis egressus, integrum librum ei tribuit. In fine tamen de Arbitris titulum adiungit, qui est postremus titulus & clausula vniuersae commentationis de iure priuato a summo viro constitutae, tantisque laboribus ac lucubrationibus elaboratae. Dixi de Iure priuato. Nam de publico non instituerat, opinor, Donellus. Nullum certe eius vestigium in his Schedis vidi. Parte Quarta Gentilis, quasdam paginas quae perierant refecit atque restituit, vti ex Epistola ad *Adrianum Borckium*, Camerae Adsessorem cui dedicauit, patet, qui & Epistola ad *Christopho-*

tium Cicero commendauit. Quam artem
qui

---

rum Firx, Consiliarium Wirtembergensem, cui *Quintam Partem* consecrauit Scipio, scribit: *Opus magnam partem a me in lucem productum est, refectum etiam ac perpolitum non paucis in locis, tum certe haec postrema Pars non illum fere magis auctorem agnoscit, quam me. Chartae erant disiectae, mutilae, plurimisque in locis inculcatae, ad hoc ab aqua pessime acceptae, prope vt literarum aspectus aciem oculorum fugeret. Ita factum est, vt & in legendo, & in describendo & in componendo magnae molestiae exorbendae mihi fuerint. quae deesse & latere in lacuna vidi, quae multa erant, suppleui, vt potui: adieci etiam atque adsui ex ipsis Donelli operibus editis titulum vnum & alterum, quod ita res, & institutum auctoris adscriptioque postulabat. Effeci denique vt hoc Commentariorum Corpus omnibus si non perfectis atque elegantibus, attamen partibus suis constaret. Nec poenitet molestiarum, aut laborum. Tuli proxime insignem fructum pietatis, cum hanc operam meam optimis & eruditissimis viris non vulgariter probari, multorum literis & sermonibus intellexi quamuis nec illud nesciam, extituros aliquos, quibus Donelli hac in parte minus consuluisse honori mortui videar, eaque de caussa ab iis etiam reprehendar, quasi iam vicerint, hanc partem dignam Donelli fama non esse. quae vt plane non esset, tamen Iuris Ciuilis studiosis gratissimam rem me facere sum arbitratus, si*

qui ſpernunt, nec aliam requirunt, quam quae a Iuſtiniano, vel vt longius eatis a Saluio Iuliano adhibita eſt: imprudenter admodum, ne dicam maligne in ea re facere mihi videntur, quos ipſe etiam initio tam excellentis operis prolixa & lacertoſa oratione confutauit, aggreſſuſque eſt magno animo opus arduum & ſummis viris antea ſaepe tentatum. Hoc enim vt reliquos nunc taceam, egiſſe Romanos illos ciuitatis principes legimus P. Craſſum, Cn. Pompe-

 ium,

vel ipſa clariſſimi Operis extrema lineamenta, eis conſpicienda proponerem. Quid? quod auctor ipſe in Praefatione Commentarii ſui De eo quod intereſt, non aliter fere huius iudiciariae partis, in qua & ſuperius volumen continetur, meminit, quam elaboratae & perfectae? praeſertim vero & nominatim expoſitionis Tit. D. de re iudic. quae expoſitio totius penultimi libri locum ſedemque ſola occupauit. Scio, videri poſſe haec ab illo paulo aliter & numero librorum & ordine diſtincta eſſe, quam nos edidimus: ſed mutauit & retexuit ipſemet multa poſtea, vt demonſtrari liquido poteſt ex chirographis eius libris, quod ſi plus non otii, ſed temporis (valde enim Typographi vrſerunt) habuiſſem nitidius a me & plenius nonnulla expoſita fuiſſent. Haec Hiſtoria Operis cuius compendium ab OSVALDO HILLIGERO factum, in omnium, qui Ciuilia Iura curate tractant manibus verſatur.

ium, C. Caesarem, M. Tullium Ciceronem, cuius ex Libris de iure ciuili in artem redigendo exstat apud Gellium nobile de Aelio Tuberone testimonium, philosopho Stoico & ICto grauissimo. Omnes autem quominus id perficere potuerint, vel mors impediuit, vel iniqua Rei publicae tempora, aliaeque occupationes auerterunt. Donellum quidem ipsum in medio cursu incitatum & festinantem, iniecta manu mors stitit ac repressit. Cum eo animi robore adhuc esset, vt morti suae superstes dici mereatur, quia nunquam ne praesentem quidem eam expauerit. Scilicet hoc robur illi non corporis vires, quas & contumacissimus morbus & aetas plane iam fregerant: sed pietas in Deum & fiducia inconcussa addebant. Equidem a fletu vix tempero, cum cogito illum diem, qui proximus ab nouissimo fuit. Aderam illi grauissime anhelanti tacitus ac moerens: sed cum discederem eumque nomine compellans adiecissem haec verba: *Non in hoc mundo neque in hoc corpore salus nostra est, sed in Domino nostro Iesu Christo:* ille his verbis vehementer recreatus, saepius illud iterauit: *Christus fidus, fidus:* tametsi propter tumorem & vlcus impedita illi peneque obsepta vox erat. O acerbissimum diem* & nullo vnquam tempore

pore

* Obiit autem die IV. Maii Anni M. D.XCI.

pore ex animo meo delendum.

quem diem comprobat Programma funebre, sub nomine Rectoris Academiae Altorfinae EDONIS HVLDERICI Theologiae Doctoris & Professoris die VII. Maii quo iusta fiebant, publicatum, quo etiam vltima Viri ita exponuntur: *Sed aliter DEO visum fuit, qui eum ad se in vera agnitione Domini nostri Iesu Christi die IV. Maii, quadrante fere horae ante meridiem ex hac vita euocauit, sicuti studiosi Iuuenes, & alii viri docti, qui familiariter cum eo sunt conuersati, testatum faciunt, dicentes, eum huiusmodi dicta Scripturae semper in corde atque ore habuisse: Siue viuimus, siue morimur, sumus Domini: Qui habet filium, habet vitam: Beati mortui qui in Domino moriuntur: Iustorum animae in manu Dei sunt: Cupio dissolui & esse cum* CHRISTO: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Pauculis quoque ante mortem diebus, saeuo & multiplici morbo implicatus *Psalmum Dauidis Sextum* sibi recitari iussit, cuius Epica Paraphrasis a SCIPIONE GENTILI eodem die scripta extat inter *Opuscula* Donelli *Postuma p. 461.* cui celeberrimorum Virorum in Donellum Epitaphia versibus carminicis comprehensa subiunguntur. Vir summus IACOBVS AVGVSTVS THVANVS victuris suis *Annalibus Lib. C. p. 139. Lit. F.* hoc ipsi monimentum fecit: HVGO DONELLVS *clarissimus Iuris Interpres, Cabilone ad Ararim natus, qui cum primum Auarici Biturigum diu docuisset,*

DVNI. BATAVORVM. DENIQVE. AL TORPHII. MAGNA. CVM. ADMIRATIO NE. OMNIVM. ET. CONCVRSV. EXTE RORVM. IVRA. FACVNDO. ORE. DO CVIT. OBQVE. PIETATEM. CANDOREM. ET. HVMANITATEM. DEO. ET. HOMI NIBVS. AEQVE. CHARVS. SENIO. TAN DEM. CONFECTVS. VITAE. ET. MOLE STIARVM. SATVR. PIE. ET. PLACIDE. ANIMAM. CREATORI. REDDIDIT. AN NO. REP. SAL. HVM. MDXCI. MENSE. MAIO. AETATIS. SVAE. ANNO. LXIIII. CVI. BENE. MERITO. DE. ACADEMIA. ALTORPHINA. SCOLARCHAE. PEREN NIS. MEMORIAE. ERGO. H. M. P. C.

SCRIPTA
HVGONIS DONELLI

Commentariorum de Iure Ciuili Libri viginti octo in quibus Ius Ciuile vniuersum singulari artificio atque doctrina explicatum continetur. Quinque Partes. Tomi Tres.

Pars Prima, quae *Francofurti* apud *Andreae Wecheli Heredes Claudium Marnium & Ioannem Aubrium* 1596. *f.* prodiit Libros Quinque continet.

Pars Secunda, Sextum, Septimum, Octauum, Nonum, Decimum, Vndecimum complectens ibidem apud eosdem 1597. f. recusa quae Partes viuo & procurante Auctore lucem adspexerunt.

Pars Tertia, Duodecimum, Decimum tertium, Decimum quartum, Decimum quintum, Decimum sextum refert, ibidem apud eosdem f. sed a. 1595. prodiit cura Scipionis Gentilis.

Pars Quarta, Decimum septimum, Decimum Octauum, Decimum Nonum, Vicesimum, Vicesimum primum, Vicesimum secundum exhibet ibid. ap. eosd. 1595. f. itidem cura Scipionis Gentilis.

Pars Quinta Vicesimum Tertium, vsque ad Vicesimum Octauum. ibid. 1596. f. procurante S. Gentile.

Epistola *de Iure accrescendi* ad *Albericum Gentilem IC. Lugduni Batauorum apud Dauidem Lopes de Haro 1640. in 16.*

Tractatus de *Pignoribus & Hypothecis, Francofurti apud Petrum Fischerum & Nicolaum Roth*

Roth 4. Coloniae apud Gymnicum f. de Aedilitio Edicto, De Euictionibus & Duplae stipulatione, De Probationibus, De Fide Instrumentorum, De Testibus ibid. apud eosdem.

Liber ad Legem Iustiniani *de Sententiis, quae pro eo, quod interest, proferuntur: siue de eo, quod interest. Lutetiae An. 1561. primum editus* & Francisco Albaspineo dicatus, recusus *Heidelbergae* apud *Matthaeum Harnisch 1574. in 8. & Neostadii 1580. 8. Altorfii 1589. 8.* Excudit eundem porro a Donello recognitum & Theodoro Weiero Consiliario Electorali Palatino consecratum *Gabriel Carterius 1596. 8.* inde quoque prodiit *Lugduni Batauorum 1630. 8.*

Commentaria ad Tit. π. de *Rebus creditis seu mutuo, de Iure iurando, de in Lit. iurand. de Condictione ex lege, de Condictione Triticiaria, de eo quod certo loco dare oportet, Antwerpiae apud Christoph. Plantinum 1582. f.* & *Francofurti 1626. f.*

Commentaria *in Tit. π. de Vsuris, Nautico Foenore, de Fructibus, Causa & Accessionibus, & de Mora, Lutetiae Parisiorum* apud *Michaelem Vascosanum 1556. Francofurti apud Petrum Fischerum & Nicol. Roth. 4.*

Commentarius ad Titulum Digestorum de

Rebus

Rebus Dubiis, Biturigibus 1571. 8. *Antverpiae apud Chriſtophorum Plantinum.* 1584. 8.

Commentarius *ad Titulum* π. *de praeſcriptis verbis & in factum Actionibus, Heidelbergae* apud *Matthaeum Harniſch* 1574. 8. & 1580. 8.

Commentarii ad Titul. Digeſtorum de *Verborum Obligationibus, Francofurti* apud *Sigismundum Feyerabendium & Zachariam Palthenium* 1599. *f.*

Commentarius *ad Titulum* π. *de diuerſis Regulis Iuris antiqui, Antwerpiae* 8.

Commentarii ad *Codicis Iuſtinianei Partes* quaſdam *Lugduni Batauorum ex officina Plantiniana apud Franciſcum Raphelengium* 1587. *f.*

ſunt ad has Partes:

<table>
<tr><td rowspan="4">ad Titulos Libri Secundi</td><td>de edendo.</td><td></td></tr>
<tr><td>de in ius vocando.</td><td></td></tr>
<tr><td>de Pactis</td><td rowspan="2">in hos duos veteres Commentarii recogniti ab Auctore & repurgati ab iis, quae aliena irrepſerant, ii dein multis acceſſionibus auctiores & meliores facti.</td></tr>
<tr><td>de Tranſactionibus</td></tr>
</table>

His

His adiunctus propter argumenti coniunctionem
Liber de Praescriptis Verbis & in factum Actionibus

ad insignes quasdam & praecipuae veluti notae L. Codicis	L. filium quem, Famil. erc.
	L. 2. de resc. vend.
	L. precibus de imp. & aliis subst.
	Auth. non licet } de Lib. praet.
	Auth. ex caussa } vel exhaer.
	L. eam quam, de Fideicom.
	L. si vnquam, de reu. don.

Ad Lib. VIII. Codicis.

Post mortem Donelli autem prodiere:

Commentarii absolutissimi *ad II. III. IV. V. VI. & VIII. Libros Codicis Iustinianei & Librum Digestorum XLV. de Verborum Obligationibus*, maxima fere ex parte postumi, minima viuo patre nati, a *Iacobo Schegkio*, Iacobi Schegkii, Nepote, Professore Academiae Tubingensis, Auditore Donelli attentissimo, in vsum Iuris prudentiae studiosorum publicati, Summariis, Epitomis, indice locupletati, *Francofurti e Collegio Paltheniano sumptibus Ionae Rhodii Successoris Petri Fischeri 1599.* & *1620. f.*

Quum vero editorem fugisset plura in Codicem vel a DONELLO dictata, vel ex ore

ore eius calamo excepta apud alios latere, ſubſequuta ſunt poſt biennium:

Paralipomena *Commentariorum ad Librum IV. Codicis*, ſine loci & temporis mentione certe tamen *Francofurti f.* * praemiſſa ad Lectorem Praefaciuncula, qua dolet editor ſibi haec non ad manus fuiſſe cum priora in Codicem Collectanea digereret.

* *Ludouicus Iacob* a *S. Carolo de Claris Scriptoribus Cabilonenſibus* dum *Lib.* I. p. 45. Scripta Donelli recitat, memorat haec Paralipomena e Bibliotheca *Ieremiae Reuſneri* publicata fuiſſe *Francofurti apud Ioan. Rhodium 1600. 1602. f.*

Singillatim prodiit Commentarius *ad Titulum C. de Pactis & Tranſactionibus Biturigibus 1572. 8. Pariſiis 1573. 8. Coloniae* apud Gymnicum *1574. 8.*

Commentarius ad Titulum Inſtitutionum *de Actionibus, Antwerpiae 1581. 8.* excudit iterum *Gabriel Carterius 1596. 8.* & *Lugduni Batauorum 1630. 8.*

Opuſcula Poſtuma, & aliorum quaedam ex Bibliotheca *Scipionis Gentilis, Hanouiae 1604. 8. Typis Wechelianis apud Claudium*

Mar-

Marnium & Haeredes Ioannis Aubrii quibus continentur:

Metho-

Methodicus Tractatus *in Tit. XXXV. Libri III. Codicis ad Leg. Aquiliam* p. 413.

Adiecta his sunt aliorum quaedam:

Epistola *Alberici Gentilis* ad *Hugonem Donellum* p. 210.

Literae *Michaelis Hospitalii* ad *H. Donellum* p. 268.

Binae Literae *Iuris Ciuilis Doctorum apud Bituriges ad Illustr. quendam Principem* p. 278. & 281.

Epistola *Petri Fabri* ad *Hug. Donellum* p. 285.

Oratio *Iacobi Cuiacii* I. C. in promotione *Georgii Heloandri Spikermanni* Orientalis Frisii habita p. 433.

Oratio *Francisci Duareni* habita in cooptatione *Hug. Donelli* p. 437.

Oratio *Scipionis Gentilis* habita in funere *Hug. Donelli* p. 466.

Epicedia & Epitaphia in obitum Donelli variorum doctorum Virorum Latina & Graeca *Scipionis Gentilis, Paulli Melissi, Marquardi Freheri, Caroli Nüzelii, Lamberti Ludolphi Pithopaei, Ioannis Stammleri, Simonis Stenii, Nicolai Taurelli, Nicolai Hemelii,* *Ludo-*

Ludouici, Ioach. Filii, Camerarii, Ioannis Truncii, Georgii Remi, Christophori Przyemsky de Golina. p. 462.

Edidit quoque an. 1573. DONELLVS sub nomine ZACHARIAE FVRNESTERI, *Defensionem*, (recusam 1579. 8.) aduersus *Ioannis Monluci* Episcopi Valentiae, *Defensionem Lanienae Parisiensis Anni 1572.* quam ille Legatus pro obtinendo in Henrici Valesii gratiam Poloniae regno, in regni limite constitutus ad ArchiEpiscopos, Episcopos, Palatinos misit. Quam *Monlucii Apologiam* strictim refert IACOBVS AVGVSTVS THVANVS *Lib. LIII: p. 841. Lit. F. Edit. Geneu. 1626. ad. an. 1572.* & *p. 842. Lit. E.* subiungit: *Contra eam Defensionem biennio post contraria Defensio edita est admodum virulenta a Gallo quodam in Germaniam profugo,* Zachariae Furnesteri *nomine, quae cum* Monlucii *nomen & pudorem admodum suggillaret, anno post* Lugduni *publicatur aduersus illum* Furnesterii *libellum, pro* Ioanne Monlucio Episcopo & Comite Valentino Diensi, Praescriptio elegantissime scripta a Iacobo Cuiacio ICtorum huius aetatis Principe, *nomine tamen suppresso.* Nesciuit summus Vir DONELLVM sub larua *Furnesterii* latitare; sciuit tamen qui summaria Editioni Geneuensi a. 1626. adiecit *Lingelshemius*,

ideoque iisdem inſeruit, errauit tamen in eo, dum *Iacobum Cuiacium* primum in hac cauſſa ſcripſiſſe dicit. Pſeudonymum autem hunc primus ni fallor detexit IOANNES DECKHERRVS *de Scriptis Adeſpotis pag. 263. Edit. Amſtelod.* in eo tamen errans, dum ſcribit hanc Defenſionem contra MICHAELEM SEVREVM Equitem Hieroſolymitanum, qui lanienam hanc coram Ordinibus Regni Poloniae, defenderit, fuiſſe directam. Adde VINCENTIVM PLACCIVM de *Pſeudonymis. p. 296. n. 1132.* Indicat laborioſiſſimus Vir IACOBVS LONGVS *Bibliotheque Hiſtorique de France Libro III. p. 404. n. 7833.* Monlucii & DONELLI *contrarias Defenſiones* hoc titulo prodiiſſe: *Ioannis Montlucii Epiſcopi Valentini, Defenſio pro illuſtriſſimo Andium Duce, aduerſus calumnias quarundam. Alia, aduerſus huius ipſius Defenſionis Calumnias*, *Zachariae* FVRNESTERI *Defenſio pro innocente tot millium animarum ſanguine in Gallia effuſo; in Octauo 1573.* qui inde diuerſas de hac Laniena ſcriptiones curate recenſet.

VITA

VITA GVILIELMI MARANI

Antecessoris Tolosani
a BERNARDO MEDONIO *
scripta
& per Nepotem
IACOBVM MARANVM
Tolosanae Ecclesiae maiorem ArchiDiaconum & Academiae Antecessorem
edita.

GVILIELMVM MARANVM **, acerrimi virum ingenii, variae & sum-

mae

* Haec Narratio Variis Tractatibus MARANI a Iacobo Nepote Tolosae 1684. f. editis praemissa, absque mentione Auctoris, hunc vero indicauit IACOBVS le LONG *Bibliotheque Historique de la France* Lib. IV. §. 3. p. 876. n. 17129. insimul adiiciens eandem etiam *Tolosae 1679. f.* prodiisse.

** Effigiei Marani, scite eleganterque pictae & aeri incisae, in fronte Narrationis huius de vita & rebus ipsius positae, ad latus adiecta verba, quae extremis vitae temporibus in ore saepius habuit: *Nihil praeter te Domine, Aut nisi propter te*, subiectique versiculi:

Ista quis artificem docuit compendia? certe
angusta ingentem claudit imago Virum.

mae eruditionis***, consummataeque virtutis, Tolosanae olim Academiae lumen, & ornamentum, mihi tanti nominis studiosissimo placet, memoriae temporum commendare; eiusque cum corporis, tum animi effigiem, non fuco vllo aut pigmento, inanium laudum corruptam, verum, viuis & natiuis coloribus adumbratam, Posteritati relinquere.

TOLOSAE nascitur anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono, pridie Kal. Iulii, IOANNE MARANO, & BERTRANDA VERGERIA, optimis honestissimisque parentibus.

Ab ipso vitae ortu Naturam expertus est liberalissimam; quae praeter morem eximia, illustrisque erumpens, Puero ingentes spiritus addidit; quibus ille ad virtutes & honores, maturrime properaret. Tenellus adhuc in gremio Parentum, blandimenta omnia, & delicias respuebat; nihilque non agebat, quod senilem sapientiam, & quod ma-

addito insimul hoc vitae Compendiolo: Guiliel. Maranus Tolosas, Academiae Tolos. Decanus, in qua Ius vtrumque per annos 38. docuit. Vixit annos 72. menses 5. dies II. obiit anno 1621. 3. Idus Decemb.

*** IANVS VINCENTIVS GRAVINA *de ortu & progressu Iur. Ciuil. Opp. Edit. Lips. p. 134. Cuiacii discipulum lucidissimum auctorem* laudat.

magis mireris, seueritatem quandam non redoleret. Libris solum inhians, quoties Mater, aut Condiscipuli, ludendi relaxandique animi causa, illum ab his auocabant, tanta molestia afficiebatur; vt eius os venustissimum, nube quasi obduceretur, donec ad genium rediret.

Virtutis, & vtriusque Linguae praeceptis, a *Patribus Societatis Iesu*, quos ciuium omnium desiderio, & precibus efflagitatos, Tolosa paulo ante exceperat, primum imbuitur, deinde, *Collegii Squillani*, vt vulgo appellant, Professoribus, literarum laude adhuc florentibus, Rhetoricis, Philosophicis, aliisque Disciplinis instruendus traditur: is enim, qui tum huic Collegio moderabatur, a Patre sibi coniunctissimo, vt eo mitteretur, non sine vi obtinuerat.

Adolescenti immane quantum discendi cupido, magna Patris defuit nunquam indulgentia; illum quidem Squillanis Professoribus conuictorem fecerat; ne eundo & redeundo, temporis vsuram perderet; quam in Aede Musarum, sede fixa, diuturniorem sibi largiretur. Harum vero Artium difficultates, incredibile est, quam facile omnes superauerit! Quibus apprime instructus, domi statuit apud se, nondum enim in Schola, Literariam sitim suam expleuerat, & liberius philosophari,

& varias *Philosophorum* sententias perpendere. Et certe, si tam diu, haec Adyta rimatus esset, quam voluisset, sibi per Patrem licere, illum ad Legum studium, acriter impellentem, Philosophiae non minus, quam Iuris prudentiae nomine, nunc praeter ceteros excelleret, nemoque latius Sapientiae limites extendisset. Illum autem quis non miretur? cum diu multumque versatus esset inter Philosophiae Magistros, Graecis exceptis, vtplurimum barbaros, Latinae linguae puritatem retinuisse, & e tanta colluuie intaminatum euasisse. Scripsit & dixit semper ornate, tam vero expedite, quam si longum meditatus esset, quae promeret. Desertis tandem Philosophiae partibus, non omnino tamen, nam illis, quae ad mores, & res naturales spectant, per interualla studere, nunquam destitit, ad *Iuris prudentiam*, totum animum conuertit.

Incredibili auctoritate & gloria, florebat illis temporibus, *Academia Tolosana*, & quem olim Athenis Philosophia, eundem hic Iurisprudentia Principatum obtinebat. In illam, non solum iuuenes, verum aetate prouecti, nullis sumptibus parcentes, Legum interpretes audituri e remotissimis Regionibus confestim confluebant. Cum a Lectionibus recederent circumfusi, discessionem credidisses exercitus, cui Imperator potius, quam Professor praeesset. Trium

Scho-

Scholarum amplitudinem qui nouerit, rem recte nouerit; facileque intelliget, non tam vnius Vrbis, quam Orbis vniuersi, hanc Academiam fuisse. Euanuit nunc quidem ingens auditorum numerus: etsi stat simillimis Antecessoribus: & habet adhuc etiam suos MARANOS: quorum ingenium, eruditio, & virtus faciunt, vt nihil sit, quod aetas nostra, praeter Scholasticorum numerum, illis temporibus inuideat. Nec profecto illorum culpa sit lugenda haec solitudo; alia tanti mali causa est. Cum enim sola pecunia, non literis, ad honores & Reipublicae munera detur iter, nihil mirum, si studia & Legum amor deferbuerint; meritoque illis parcendum est, qui improbis laboribus & vigiliis nolunt consumi, frustra & sine honorum emolumento; cum ignaros videant, praemia Iurisprudentiae, Magistratus, facile & sine Legum taedio plerumque aucupari.

Talis erat illis temporibus Academia Tolosana, cum ad illam MARANVS accessit; vixque Iuris Institutionibus delibatis, ante omnes auditores emicuit. Reliquas vero partes persequens, tanta argumentandi subtilitate pollere visus est, vt ipsos etiam Magistros saepe percelleret. Quos cum ita lacesseret, atque acrius, quam discipulum deceret, interdum prouocabat ad pugnam, ab ea nunquam recedebat;

quin commotos illorum animos vrbanitate & sale multo quasi conditos, compescuisset. Postquam tandem famosum Legum illud profundum, eo ardore pertentasset, quo in ceterarum artium recessus penetrauerat antea, frustra tum fuit omnis Antecessorum cura & industria; & iam proprio Marte valens, Academiae vale dixit: dumque suo deinde arbitratu, omnia literarum monumenta consulit, quibus Iurisprudentiam illustret, tantae fuit sagacitatis, in veterum rimandis Autorum locis, vt quae occurrerent corrupta, deprauata, luxata, & sede sua mota, vitio temporum, aut librariorum, statim in integrum restitueret, tum ex ingenio, tum vtriusque Linguae beneficio, Graecae non minus, quam Latinae callentissimus. Horum, inquam, idiomatum, genium, indolem & aetates, sic exacte nouerat, vt leuissimam verborum mutationem, & quod cuiusque loci, & aut scriptoris proprium esset & peculiare, persentisceret. Hac arte multis Emendationum libris, Thesauros Criticos augere potuisset, quod quam plurimorum voluminum margines, relictae Bibliothecae indicant; sed ille nimia modestia laborans, nulla, aut pauca quaedam vulgauit, eaque, vrgente necessitate coactus: a scribendi nimirum prurigine, qua tot nunc semidocti insaniunt, alienum animum semper habuit. Verum Musarum pro-

prouidentia factum eſt, vt quae premebat ille, magno Rei Literariae damno, IACOBI MARANI eius Nepotis Anteceſſoris Clariſſimi cura nunc edantur. Academiae frequentandi finem fecerat; ab Anteceſſorum tamen conſuetudine, & latere, auelli vix poterat; tacito quodam impellente Numine, & intime ſubindicante, fore vt huic Ordini ipſe aliquando adſcriberetur.

Valentiae Cauarum docebat tunc temporis IACOBVS CVIACIVS, & habebatur Iuriſconſultorum omnium temporum, facile Princeps. Eius fama allectus MARANVS, & tanti viri explorandae eruditionis amore accenſus, Patrem rogat continuo, detur ſibi copia, illuc ſe conferendi; nec ceſſat; donec exire domo licuit. Proficiſcentem, votis & commendatitiis literis, Alumnum ſuum proſequitur Toloſana Academia; vt illi tanto facilior, ad virum maximum, pateret aditus, quanto pleniores eſſent laudis, humanitatis, & officii.

Neque vero vbique gentium decantatum odium illud CVIACII in Academiam, Patriamque vnquam extitit: calumnia eſt, & PAPIRII MASSONI commentum; quod Profeſſoris Cathedram ambientem CVIACIVM, Toloſana Academia vnquam reſpuerit. Tantam hominis impudentiam quis ferat? qui ſine teſtibus, ſine monumentis, aut leui praetextu, innocenti Aca-

demiae, Patriaeque quae magnis viris semper fauit, atrocem iniuriam inferre ausus sit: dum CVIACIVS ipse silet *; quis vero in acerbissimo odio sileat? & ex actis Academiae liquido constet; illum nunquam ad disputandum prodiisse; his praecipue temporibus, quibus volunt, illi FORCATVLVM fuisse praelatum. Nec quod idem scripserint IACOBVS AVGVSTVS THVANVS, & SCAEVOLA SAMMARTHANVS, viri aeterna laude dignissimi, ideo culpandi: a vero enim vterque aberrauit, ex infida alterius auctoritate. Annum integrum in eius celeberrimo Auditorio impenderat, cum a Parentibus reuocatur; noluit tamen hinc discedere, quin prius *Doctoris* munere, sub eius auspiciis augeretur; quo etiam nomine labores suos commendaret. Ad hunc autem honorem euectus est, post triduanam disputationem: non illam quidem, qua scenica ostentatione, e machina, auditorum fidei illuditur, sed summa contentione acerrimam; qua tota applaudente ciuitate, pugnae expectatione illuc adducta, quid homo homini, MARANVS cunctis praestaret, luculenter probatum est. Quae

* Neque autem Cuiacium plane hac de repulsa silere indicauit iam FRIDERICVS IACOBVS LEICKHERVS Notis ad Vitam Cuiacii a MASSONO scriptam, aliosque huius rei graues testes citauit *p. 268. 269.*

Quae cauſa fuit, vt CVIACIVS in ipſo amplissimo conſeſſu, tantam gloriam, non minus ſibi, quam MARANO gratulatus fuerit, dixeritque extemplo; *nihil ſibi gratius fore, quam ſi ille in ſuum locum aliquando ſuccederet.* Effatum fuit iſtud CVIACII, quaſi ex vaticinatione & motu: nam cum ſe deinde Academiae Biturigum Cuborum reddidiſſet, mutato quaſi ſolo, Iuriſprudentiam propagaturus, ibique diem vltimum obiiſſet, per hanc Academiam, Biturigeſque non ſtetit, quin in defuncti locum MARANVS ſufficeretur. Sed haec alio.

Valentia Toloſam proficiſcentem tenerrime amplexatur CVIACIVS, rogatque bonorum reliquias, quas hic ſparſas haberet, collectas ad ſe mitteret: quod, vt valeret exequi, illum authentica ſcriptura, Procuratorem ſibi elegit. In Patriam reuerſus, poſt amicorum officia, nihil habuit prius, quam CVIACIO morem gerere; quo in conficiendo negotio, taedii ſane pleniſſimo, bonis miſere exturbatis, propter Domini diuturnam abſentiam, eius in rebus agendis induſtria primo ſe exeruit. Mirantur omnes illum interea, nihil literariae feritatis contraxiſſe; qua plerique iuuenum, cum e ſubſelliis emittuntur, turpiter rigent, & dum vrbanorum virorum coetibus, ex officio permiſcentur, nihil niſi mores agreſtes, & male defaecatam mentem exhibent, crudi-

cruditate sua spectatoribus stomachum mouentes. At ille seuere lepidus, non rudis & incomptus, ab Academiis exierat. Non vbique etiam Doctrinam crepabat, luxuriante rerum copia, egregie doctorum virorum more importuno; sed amplissimam supellectilem erudito silentio premebat. Animo nunquam efferebatur; & singularis, ac prope diuina eius semper fuit modestia; qua facta, dictaque omnia sua aspergebat: sic a se liuorem omnem & inuidiam remouebat.

Per haec tempora in Album *Aduocatorum* nomen suum ascribi voluit, militiam fori sectaturus; quae etsi non versatur inter vitae discrimina, periculosissimae tamen aleae subiicitur, proindeque diu cunctando ad illam accessit. Sic erat, vt si quid audendum, cum quodam famae periculo, nemo esset illo meticulosior; etsi nihil non audere poterat virtute sua. Susceptae tamen rei euentus, non multum anceps fuit expectatio; nam statim ore, voce, gestu, rerum copia, denique limato in primis iudicio praeclare praeditus, non tam nouus, quam consummatus Orator apparuit; nec tam rudis, quam veteranus miles, in hac veluti acie, in qua ingenio & eloquentia pugnatur, visus est.

His dotibus conspicuus, & iam quotidianus Causarum Actor, cum quidem Iudicum aures

aures titillabat, tum animos suam in sententiam facile omnium trahebat. Auditorum certe nullus erat, qui illi intime non faueret, ex quo, Senatus Princeps, vir eximius STEPHANVS DVRANTIVS, quem Ritus Ecclesiastici, Religionis studium, & in Regem, Patriamque Tolosam, inconcussa fides commendant, valde illum amare instituit.

Nemo vero eius animi virtutes & ornamenta pluris fecit, quam IOANNES CATELLVS, Senator Tolosanus, Vir suis meritis clarissimus, & e nobilissima CATELLORVM Gente Scotica oriundus; quae Armorum gloria, Literarum splendore, Senatoriis insignibus, & iam a multis saeculis continenti virtute decora eminet. Hic cum forte causam alicuius, cui Sacerdotium ademptum fuerat, ea ingenii felicitate dicentem audisset, vt esset omnium consensio, neminem clarius de aduersario potuisse triumphare; Illum illico sibi *Generum* exoptauit: atque ita, qui paulo ante pro Tribunali Iudex sedebat, ipse deinde supplex, ad eius triumphi gloriam accessit.

Eo animo affectus, & oestro quasi percitus, statim atque e Curia domum reuertitur, IACOBAE LAMAMIAE lectissimae Coniugi, quae MARANI in causis agendis esset praestantia, quamque illa die, eius decus nominis, in immensum creuisset, summa

ſumma cum voluptate commemorat. Tunc quidem effuſe magis, quam vnquam antea, bonam indolem laudat; mores candidos, diuinum ingenium, ceteraſque virtutes, quibus eſſe praeditum, ex vicinia nouerat, mentem illi denique aperit, cupere valde, etiam apud ſe ſtatuiſſe, MARANO filiam ſuam collocare. Marito animorum aeſtimatori optimo, non diſſenſit vxor morigera, ac proinde, ſine mora, ſine apparatu CATELLVS rem aggreditur: conuenit inter partes: non tamen Nuptiis dicta eſt dies; matura nondum Virgine MAGDALENA, quae niſi poſt annum Viro iuncta fuit. Peculiari Numinis prouidentia coniugium initum, praeclara deinde auctum prole, quae ſua laude non carebit, ſtetit ad finem vſque vitae, ſine controuerſia.

Hic autem ſileri non poteſt, Maranum in ipſis Nuptiis, de ſtudio Literarum, deque officio forenſi nihil remiſiſſe, & incredibile eſt, illum inter teneros gratisſimae Nuptae amplexus, non minus ſolito, libris adhaeſiſſe. Culpare quidem omnes, immoderatam diſcendi cupiditatem, vitio vertere, ac probrum illi obiicere, quod duriter ſic valetudine abuteretur, nec ſe reſpiceret: verum ille ingenii vires altius intendens, amicorum querelas ſuſque deque habebat. Quod cum DVRANTIVS, cuius in illum beneuolentia, ad ſummum vſque peruenerat,

tat, ferre non posset, essetque de amici valetudine valde solicitus, quam quotidie labefactari videbat; MARANO tandem persuasit, in Senatorium Ordinem gradum faceret; quae statio eius esset tutior valetudini, & in qua potentius omnium commodis inseruiret. Forte tunc vir clarissimus GARDESIVS, Senator simul & Antecessor Tolosanus, ex Senatus Decreto cogitur, vnum aut alterum munerum abdicare: sibi liceret quod vellet retinere. At ille maluit, Ius docere, quam dicere. Quo facto, DVRANTIVS ipse, MARANI nomine, de pretio relicti Magistratus, cum GARDESIO paciscitur, ea tamen conditione, a MARANO posita, vt nisi intra constitutum tempus, Regii Codicilli deferrentur, acta, transactaque forent irrita: quod ideo voluit, vt hinc liberandae fidei amico datae occasionem caperet. Optato admodum res contigit: nam Codicillos procurantis indiligentia, & subita GARDESII mors, vacantem Cathedram exposcendi, illi opportunitatem praebuere; quam tanto lubentius arripuit, quanto magis reluctanti animo ad Iudicis munus se comparauerat: a quo recessisse laetus saepe saepius aiebat se, metu periculi, in quo iudicandi Ars haec, alioquin omnium sanctissima versatur; vel cum maiori prudentia, & Religione, Ius, aequitasque exquiritur.

Solemnis

Solemnis diſputationis ante decretoriam diem plures quidem competitores habuit, nec imbelles, vt fama erat; ſed vt cominus de ſpoliis GARDESII cum tanto aduerſario contendendum, ſubito omnes pedem referunt, quaeſitoque defectionis praetextu, honori ſuo malunt fuga conſulere, quam imbecilliter decertando turpiter cadere. Sed cum Academia, MARANI eruditionem alieno periculo experiri non poſſet, proprio experta eſt, ipſis Anteceſſoribus cum illo in arenam deſcendentibus; ibique nunquam acrius pugnatum eſt: quod ex decreto factum; ne humaniter magis quam iuſte, ſi ſine examine Anteceſſor fieret, allectus videretur. Ex tam inſolenti conflictu, tantum gloriae MARANO acceſſit, quantum dici vix poteſt; & ipſa Academia mox praecinuit, ſe ſuum illi aliquando decus omne debituram. Anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo nono in GARDESII locum inauguratur: * cui non magis, quam ipſi Aca-

* Quam fideliter prudenterque ſe in hoc Anteceſſoris grauiſſimo munere geſſerit ipſum audiamus, cultiſſima Oratione, *De recta Iuris diſcendi ratione deque Anteceſſorum delectu*, Poſtridie Diui Lucae Anno M. D. XII. in Schola Iuris Ciuilis habita, ipſiusque Paratitlis praefixa, exponentem: *Ego quidem* ait

Academiae, gratulati sunt omnes Ordines. Quod si minus in communi gaudio plausum, vnica causa fuit, multorum fortu- K narum

per annos viginti octo, summa contentione isto docendi munere in hac omnium celeberrima Academia persungor, & reliquum antecedentis aetatis in eodem studio pene consumsi. Cumque in adolescentia, proprio periculo expertus essem, quam misera sit studiosorum conditio, quorum magistri incondite, perturbate & sine arte docent: cumque Iuris disciplinam alioqui per se difficillimam esse animaduerterem: omnes animi & industriae neruos, in id potissimum Antecessor factus, contendi, vt sagacissima, solertissimaque indagatione, Iuris artem inuestigarem (quam quotidiana nostra dictata ad Pandectas praesertim, aperiunt) atque vt obscuriora quaeque, ita saepius animo volutarem, & assidua mentis agitatione apud me concoquerem, vt tandem probe subacta confectaque studiosis quasi mansum in os ingererem, eosque maxima laboris parte subleuarem. Sed hominem me esse agnosco, & si quis me saepius labi & errare dixerit, nunquam inficiabor. Verum tamen, si post tot tantosque labores, in hoc studio exhaustos, qui mihi iam diu ante aetatem senium adsciuerunt, quid de hac re sentiam candide & simpliciter exposuero, nihil alieni mihi arrogare videbor: saltim fungar vice cotis, vt ille ait, & ingeniosiorem aliorum industriam, ad rei

narum ratio; quorum maxime intererat, ne vir tantus ipsis eriperetur; cuius, aut eloquentiae viribus, aut iudiciorum integritate, se resque suas incolumes habere, arbitrabantur.

Ea aetate, cuique Cathedrae, Ius vnum, aut

tam necessariae inquisitionem, exemplo meo forte exacuero: vt ii quoque suam symbolam in medium conferant: illi praesertim quos de omnium Antecessorum docendi ratione saepius quiritari intelligo, quos meliora vidisse consentaneum est: quae si Reipublicae non inuidebunt, vel exemplo non dedignentur, ego quidem summa cum animi alacritate, & gratitudine, obviis quasi vlnis excipiam, amplectarque ac deosculabor: sententiam enim mutare in melius, senem quantumuis, nunquam pigebit pudebitque. Addo testem laudatoremque EMVNDVM MERILLIVM discipulum, ICtum politissimum, Epistola dedicatoria ad IOANNEM BERTIERIVM Libris VII. & VIII. Obseruationum praemissa: *A Cuiacio lampada accepit G. Marranus Academiae vestrae* (Tolosanae) *Antecessor, sub quo mihi tecum profecisse contigit. Vir ille praestantissimus expositiones suas perspicuas tradere accurate contendebat, tantumque ab eo lumen in Libris Iuris mihi accesserat, vt vix a Schola ipsius digressus in Antecessorem adlectus fuerim.* Quem locum GVNDLINGIANIS elegantissima eruditione plenis, debeo *Part. VIII. p. 219. 220.*

aut alterum, non vtrumque, affixum erat docendi officium; haec autem quae MARANVM exceperat, Iuris erat Pontificii: in qua poſitus, ſtatuit illico, quam alii operam in Ius Ciuile adhibuerant, eandem in Ius Canonicum conferre. Itaque in *Secundo Decretalium Libro exornando*, omnes animi neruos intendit. Et iam certe frueretur Literaria Reſpublica eius luculentiſſimis Commentariis; niſi maris inclementia, cui ſe, & tam eximios ingenii foetus, *Romam* tendens, crediderat, nobis illos inuidiſſet. Verum haec Fatorum iniuria, alium ſibi locum poſtulat.

Dum ſuſceptum vrget inſtitutum, neque ſibi quidquam otii indulget, omni cura Rei domeſticae abiecta, & ea felicitate, quam pariunt Literae, cumulate fruitur, proh fluxam rerum humanarum poſſeſſionem? MARANO vxor chariſſima eripitur: cuius orbitas, pro amore, quo eam complectebatur, multum acerba, tanto etiam acerbior fuit, quanto magis inde Literarium otium tolli ſibi miſere videbatur. Quapropter taedio victus, cum abſentis deſiderium ferre non poſſet *Romam* eundi occaſionem, quae ſe obtulit, leuandae aegritudinis cauſa, lubens amplectitur.

Inteſtini Belli incendio flagrabat Occi-

tana Prouincia *Hugonotorumque* Arma vbique impie grassabantur; & iam virtute bellica praestantissimus Dux SCIPIO IOYOSA, in cuius Tutela & Populi & Religionis salus posita erat, immatura morte occubuerat: cumque hinc communis calamitas propius immineret, nec haberet Respublica in quem reclinata recumberet; ad HENRICVM IOYOSAM Bochagiae Comitem, qui ab aliquot annis, sub sacra Capucinorum veste latebat ANGELVS, confugiunt omnes; inque vno, si miseratione tangi velit, atque iterum Arma capere, tota ponitur spes afflictae ac fere prostratae libertatis. Hunc certe commouere non poterat honorum gloria, aut imperandi cupiditas; cuius animum, non Regis fauor, neque magnae fortunae explere ante potuerant, diuino tantum Numine exsaturandum: sola potuit laesae Religionis, & lacerae Prouinciae ratio, Herois mentem flectere, illumque e pannoso Franciscanorum sago, ad Imperatoris chlamydem auro grauem reducere. At ille militiae mutare genus noluit, sine summi Pontificis indulgentia: ea enim conditione tantum, & Prouinciam regere, & exercitui praeesse in se recepit. Quam ob rem Concilio habito, accurante Prouincia Occitana, MARANVS Legatus Romam

mam mittitur, * voti ſolutionem impetraturus, vnus egregie electus; vt ex tanto viro, res tanti ponderis, & cauſae fauor, plus gratiae, apud ſummum Pontificem obtineret. Sed in praecipiti loco ſic res poſitae erant, vt MARANI moram reditus, ſine manifeſta ruina, ferre non poſſent. Idcirco tandem paterna charitate & miſerae prouinciae lacrymis victus IOYOSA, ab Aede Capucinorum rapi ſe ſiuit; fretus tamen prius Academiae Decreto ſancientis, e Religione eſſe, Rei publicae clauo manus iterum admoueret, neque a crimine immunem eſſe omnem procraſtinationem. Bellicis ſpiritibus reuocatis, quae facinora ediderit, aliis quorum partes ſunt, haec dicere, commemoranda relinquo. Nunc nos, e medio itinere, infelix

* Negotium omne grauiter quoque ad An. M.D.XCII. exponit IACOBVS AVGVSTVS THVANVS *Hiſtoriarum Libro CIII. p. 239. C. D. Edit. Geneu.* ſed de Legatione Marani plane tacet, quod & FRANCISCVS BERTRANDVS Vita IOANNIS BERTRANDI Praeſidis tum Toloſani, in *Collectione Leickheriana p. 342.* facit, qui tamen Epiſtolam elegantem ac terſam Senatus Toloſani nomine ad Clementem VIII. P. R. a *Bertrando* ſcriptam 3. Non. Decembr. An. Domini 1592. datam, atque MARANO noſtro ablegato traditam *p. 344.* recitat.

felix Piratarum praeda MARANVS vocat, & inter irati maris fragores, horrendos cathenarum ſtrepitus, barbarorumque inſanos clamores miſerabiles captiui voces iuuat exaudire. *Tunetum* deuectum lacrymis decet proſequi, inque tanta rerum omnium deſperatione, qua nemo penitus non attritus fuiſſet, eius conſtantiam contemplari. E *Portu Maſſilienſi*, nauem, quam Vrbis Conſules magno illi militum & tormentorum numero inſtruxerant, vna cum duobus amicis, MARANVS conſcenderat: coelo marique fauente, & ſecundis ventis ſoluerat: diuque felici & proſpero curſu, recta *Liburnum* tendebat. Sed cum ad Corſicam nauis nimium deflexa eſſet, ſubitoque fatali malatia orta, nullam ſpem fugae vela darent; imminentibus iamiam Piratis, eunt ad arma milites, eo animo, vt malint honeſte repugnando cadere, quam capti, duriſſimae ſeruitutis iugum ferre. Barbari, contra praenuntiant, niſi vltro ſeſe dedant, ſpem nullam ſalutis fore; & ſi imbecilli auſu pugnae impares, armis concurrant, temeritatis poenas atroci morte luituros. Hae tamen minae, quantumuis crudeles, militum animos a propoſito dimouere minime potuerunt: quare diu cruento & obſtinato marte hinc inde pugnatum: & cum iam tota tormentis excuſſa eſſet nauis, qua MARANVS

RANVS vehebatur, ille eiusque ſocii, nautarumque aliqui ſemianimes, & opimae merces, horrendi certaminis reliquiae, a Mauris tandem capiuntur. Horrendum dictu, vulneratos milites, immiſericorditer trucidatos, in mare praecipites dant barbari, MARANVM eiusque ſocios captos nudant, vulneribus caedunt, contumeliis lacerant, vltimo demum ſupplicio deuouent. Non tamen MARANI mens frangitur, aut virtus debilitatur: quin imo tanta in eius ore dignitas & conſtantia emicuit, vt immanis illorum feritas, ſubito quaſi compreſſa, paulatim deſaeuierit, eiuſque cauſa, tam aliorum quam eius vitae pepercerit. Itaque cathenis alligatos (neque id ſine fauore ac gratia) ad remos dant, ſeque valde humanos iactant, quod illis non omnino ſpem adimant recuperandae libertatis, ſi pecuniae magna vis intercedat, quae vitae neciſque dominos valeat expugnare. Naui exonerata ſummerſaque, triremes, Barbari praeda felices, *Tunetum* verſus impellunt. Captiuorum interim ſarcinas, MARANI in primis ſcriptis, & quatuor nummorum millibus graues attentius luſtrant: & quia ex Legationis cauſa, multaque pecunia, viri dignitas egregie ſeſe aperuit, eius pretium redemtionis magis ac magis accenditur. Hanc etiam calamitatem multum auxit,

 iactura

iactura eius Lucubrationum Canonicarum, quas summo Pontifici volebat inscribere, nullo deinde pacto restituendas, amisso autographo. Quae cum accepisset IOYOSA, per epistolas Massiliensium Consulum dici non potest, quanta animi aegritudine affectus fuerit. Nec mora, humanissimis epistolis captiuum solatur, iubetque expectare, se nihil non effecturum, quo cito illum hinc eximat. Occitana etiam Prouincia luctum suum testata, omnem non mouere lapidem statuit, quo misero succurrat, suumque Romanae Iuris prudentiae sidus, a tenebris Afrorum carcerum vindicet. Sed dum Dux IOYOSA, & frater eius Cardinalis, Prouinciae Procuratores, amici & affines, curis omnibus contendunt, vt in pristinum statum MARANVM restituant, plures sensim labuntur menses, neque tamen res ad exitum perduci potest: nam libertatis conditionibus, saepius semperque in peius mutatis, factum est; vt per octo menses, harum ille belluarum praeda fuerit.

In quarum laniena, quam acerbe fuerit, exceptus, quam diris & indignis modis vexatus, quoties fuste percussus, detracta caesaries, foetide olentibus sputis decora facies contaminata, facies illa, in qua Romana Legum Maiestas insidebat, quoties impurissimis tortorum manibus percussa & cruen-

cruentata, horret animus meminisse. Ex his tamen tanti doloris caussis nulla crudelius eius mentem excruciabat, quam tenera liberorum recordatio; quos efflictim amans, illorum continuo eiulatus & lacrymas audire & videre sibi videbatur. MARANI tamen mens immota manet, nec vnquam ab arce sua decidit: imo saepius exoptat, fidem hic suam Deo hominibusque testatissimam spontanea morte relinquere. Quod si aliquis esset vitae sensus, illum, cura vnica liberorum, & paterna acuebat sollicitudo.

IOYOSAEI interea Fratres nihil non agebant illius causa; sed, rerum fato omnia irrita fore videbantur; nisi Dux ESPERNONIVS * Gallo-Prouinciae Pro-Rex, Regem ipsum Tunetensem rogasset,

 pro

* Quod Espernonii beneficium, filius RAYMVNDVS magnifice praedicat Epistola, qua Paratitla Parentis dedicauit LVDOVICO Cardinali de VALETTE Espernonii Filio, his inter alia verbis: *Tanti beneficii memoriam auidissime recolebat, quod piratarum manus euasisset, quod patriae velut postliminio redditus publice studiosorum maximam frequentiam, priuatim liberos instituisset: sed praecipue maximum redditae libertatis fructum in eo collocabat,, quod Opus istud* (Paratitla) *affectum, non tamen confectum, cupidae legum iuuentuti, bene-*

pro MARANI libertate, quam tandem obtinuit. Argenteorum nummorum tria millia, pretium redemptionis, Occitana Prouincia pependit, ingens, si commercii leges; leue ac tenue, si mercis dignitatem spectes.

E vinculis solutus, & ad optatissimum Galliae litus appulsus, Monspelio transiens, HENRICVM MOMMORANTIVM Occitanae Prouinciae Pro-Regem IOYOSAEIS studiis contrarium, salutare cogitur. Hic autem, illum non solum omnibus officiis, ac beneficiis exornauit, sed etiam summopere rogauit, stylum pararet, ad tuendam Regis laesam Maiestatem: quod si vellet, pollicetur continuo effecturum se, vt Libellorum supplicum Magistorum ordini, in gratiam suscepti operis, cooptaretur. Hanc quidem prouinciam (si Rex Haeresim exueret) non detrectauit; conditionem vero honeste repudiauit, addens, nullo sibi opus esse lenocinio, quo ad scribendum pro Regia auctoritate adduceretur: sed Regni pacatis rebus omnibus, scribendi occasio postmodum euanuit. Monspelio Tolosam demum venit, & antiquos

uolentiae suae tesseram, prouectioribus, industriae suae specimen reliquisset. Id omne secundum DEVM Duci Espernonio, Parenti Tuo gloriosissimo, volebat adscriptum.

tiquos Lares reuiſit. Tum ruere omnes in eius amplexus, ſtupere ac demirari, per innumeros tam aduerſae fortunae caſus, viri conſtantiam ſtare potuiſſe. Et vix ipſis oculis fides adhibetur: dum ſic emaciatum vident, & praematuro ſenio confectum: effigiem quandam dixiſſes ſpirantis mortui. Hunc autem Toloſana Academia, ea amoris ſignificatione recepit, qua tenera mater, ſaluum exoſcularetur alumnum, quem ſibi ademptum putarat. Non enim amplius illa, amiſſi decoris taedio ſquallere, ſed nouos hilareſque vultus induta MARANI in aduentu, puriori a tenebris luce ſplendere viſa eſt. Ab hac die IOYOSAEI fratres, & Dux ESPERNONIVS, vehementer illum amarunt, atque ita magni fecerunt; vt nihil agerent, ſine MARANI conſilio: quod eorum innumerae teſtantur epiſtolae, in quibus nihil tam frequens, quam acceptorum officiorum conſiliorumque commemoratio. Cardinalis IOYOSA praecipue, vſque adeo praeclara eius merita ſuſpexit, vt in Archiepiſcopalem ſedem ſuam Narbonenſem ſubrogari illum vehementer voluerit: qua mente de Religione ſe optime meritum putabat.

Verum enim vero, noſtra aetate, hoc quis credat, MARANVM a tanto munere voluiſſe & potuiſſe abſtinere? Ecquis diui-

diuinam illam animi moderationem valeat imitari! Primis olim Ecclesiae temporibus, cum Religio esset natiuae pulchritudinis, simplex & sine fuco, insignes pietate viri ad summa Sacerdotia, non nisi ab omnibus exoptati, inuiti tamen accedebant. At nunc, heu quo ambitu, quam saepe turpi quaestu, cunctis admotis machinis, plerique hominum quorumcunque ordinum fortunarumque aucupes, sacrosanctas Sedes, ipsamque Ecclesiam expugnant! dum interim iacet illa deserta, squallida & suis ornamentis viduata, frustraque fidem moresque antiquos contestatur, quos quidem in MARANO non desiderasset, si Cardinalis IOYOSAE precibus adduci potuisset, vt se tanto oneri supponeret. Sed inanis eius fuit omnis sollicitatio; cui, veritus ille, ne tandem frangeretur, festinatis secundis Nuptiis, finem imposuit.

Se totum ergo ad officium reuocat, cumque veteribus amicis, libris scilicet, quorum iocunda consuetudine aegre diu caruerat, in gratiam rediens, duplicato studio Ius vtrumque ornandum repetiit. Ac primum Leges & Canones celebriores, & maioris difficultatis, doctissimis Commentariis illustrauit: deinde, studiosorum vtilitati vnice inseruiens, aureum opus Paratitlorum aggreditur; in quo concinnando, nimiam illam & obscuram breuitatem CV-

IACII

IACII moderata rerum copia temperauit. Merito namque suis laboribus, de vtroque Iure optime mereri voluit; cum eo aucto-re Academia statuisset, vt vnusquisque Antecessorum, alternis vicibus, Ius vtrumque in posterum profiteretur. * Quod vt fieri posset maiori cum dignitate eius etiam hortatu IOANNEM a COSTA, & VINCENTIVM CABOTIVM, hunc Aureliae, illum Cadurci docentes, ad se Academia accersiuit. Tunc certe talium virorum accessione, haud maior esse potuit Legum gloria & decus; quo in dies, magis ac magis, allecti Auditores, MARANVM in primis audituri, duo saepe millia

* Confirmat haec RAYMVNDVS MARANVS Filius, ipse Tolosanus Antecessor, Praefatione Paratitlis paternis praemissa: *Ius quidem* ait *auctoritate publica per XXXVIII. annos frequenti auditorio exposuit parens: sed ita, vt decem totis annis intacta Ciuili scientia solis Pontificum Decretis incumberet. Quia iis moribus vtebatur Academia Tolosana, vt Professores non Nomocanonis promiscue, vt nunc obtinet, sed alterutrius tantum Iuris legerentur. Eo auctore Lex illa paulo durior abrogata est, quo facilius Viri numeris omnibus absoluti D. D.* VINCENTIVS CABOTIVS & IOANNES ACOSTA *ad nostram Academiam ab Aurelianensi, & Cadurcensi euocarentur.*

lia excedebant numero. Et cum, tot inter iuuenum copias, fieri non poſſet, quin innumerae ſuborirentur rixae, vnde quotidie fere ad Arma venirent, ac in Platea Diui Stephani, loco pugnae vt plurimum deſignato, vbi MARANIANA Domus poſita, crudeles & lugubres Tragoedias ederent, MARANI tamen apud eos vſque adeo valebat reſpectus, vt ſi forte illum conſpicerent, vel medio irarum in aeſtu, ſubito prae reuerentia miteſcerent

Ea tempeſtate infeliciter incidit, vt CVIACIVS apud *Bituriges* moreretur. Eius Cathedram GOTHOFREDVS & PACIVS, magno molimine appetunt. At MARANI celebritas Nominis pati non poterat, vt alteri deferretur, quam illi, qui meritus ſuis valeret vnice CVIACIVM repraeſentare. Quare illico rogatur vltro, oblatum munus capeſſat; Ducis etiam IOYOSAE, qui ſe iam Capucinis reddiderat, accedunt preces; quibus exorat, viros haereticos ab hac Sede arceat: verum amor Patriae, & amicorum officia, *Toloſae* illum addixere: cuius tam bonus Ciuis fuit, quam praeclarus Academiae Anteceſſor: quippe qui, in augenda vtriuſque vtilitate dignitateque, ſemper inuigilauit. Quodſi interdum, a laboribus reſpirauit, cura minus pertinaci, vberrima Iuriſprudentiae latifundia excolens ad aliarum Artium,

Diſci-

Disciplinarumque arua, mutato tantum, non imminuto ſtudio, non inelegans colonus ſe conferebat: ſic quas ab initio, Scientiarum altas radices, in ſinu conceperat, repetito deinde cultu, identidem refouebat, & ad primos amores ſuos Philoſophiam, Arteſque liberales, ſumma cum voluptate redibat.

Rerum Naturalium in primis cupidus, eam *Medicinae* operam collocauit, quae ſatis idoneum reddiderat, hanc ſi facere voluiſſet: qui cum eius partes omnes perluſtraſſet, intima quoque Naturae ſemina, ipſaque eius viſcera rimabatur. *Ignis* quoque *miracula*, & metamorphoſes, non inpulſus explorabat. *Herbarum* etiam *indolem*, formas, poteſtates, vſus, ac conditu-ras, exacte callebat: nemoque erat, vel ipſe CLVSIVS, hoc maxime laudandus nomine, qui MARANO herbam non porrigeret. Vtinam in *Rem Herbariam Obſeruationes* ſuas edidiſſet! nulli magis, quam illi nunc haec Doctrina deberet: quod eius Bibliothecae multi teſtantur codices; quorum margines, innumeris fere obſeruationibus, manu propria exaratis, referti ſunt. Collegerat praeterea, herbarum vndecunque exquiſitarum ingentem copiam, quas magni voluminis foliis intexerat, praepoſita vnicuique notitia, qua facilius ipſae ſe oculis explicarent: ſed dum

dum huc illuc Bibliotheca ſaepe verſatur, Naturae hic Theſaurus, miſere diſtractus, volitantibus hinc inde foliis, totus tandem euanuit.

Agricolationis, quae proxima & quaſi conſanguinea ſapientiae eſt, Prudentiſſimum fuiſſe perhibent, nihilque illi dulcius fuiſſe, cum per ferias Academicas Ruri degere liceret, quam Agricolarum operas ſpectare, deſignare & emendare, denique omnium inſitionum genera, exercere. Hac arte, in Pago, cui nomen *Popignacum*, hortum & viridarium, florum, herbarum, arborumque mira varietate amoenum, inſtruxerat: in quibus educandis atque caſtigandis, artifices manus ipſe ſuas tam feliciter adhibebat; vt picturatas luxuriantes Naturae diuitias, per areas diſcriminatas, ingens eſſet contemplandi delectatio.

Artium Liberalium nullam fere intactam reliquit: ex quibus *Muſices* praecipue ſtudioſus, tum vocalem, tum organicam tractabat. Nec alienum a ſeueritate Legum putabat, verbis ſaepe numeros addere, fidibuſque vti, quas ſane quam perite pulſabat, more Lycurgi: qui cum Lacedaemoniis rigidiſſimas Leges condidiſſet flexanimam Muſicam ſibi tamen permittebat. Verum ea facultate MARANVS nunquam vſus eſt, vt ad laſciuiam animos flecte-

flecteret; sed vt sibi praeluderet, ad aeternam voluptatem haberetque in humana Harmonia, molle rudimentum diuinae. Numeris omnibus absolutus & cunctis virtutibus addictus, vbique vitae integritatem prae se ferebat, nihil nisi pietatem redolens. Quid mirum ergo? si de Religione bene merendi nullam occasionem praetermitteret. Quare cum religiosos Ordines Tolosae plures vtriusque sexus, solutioris Regulae iam taederet, & seueriorem cuperent, vnus MARANVS praesto fuit; qui pro auctoritate qua pollebat apud Cardinalem IOYOSAM, rem in se curandam reciperet: quam tandem ad optatum finem perduxit. Hanc illi gratiam referant Franciscani Patres Recollecti, quos vocant, Carmelitani & Augustiniani: praeter ea Tulienses Virgines, & quae Diuae Catharinae Senensis nomine nuncupantur, atque Andoina Societas: quibus omnibus oportune opitulatus est. Verum tamen, alienae non prius fauit emendationi, quam proprias Domos Academicas in meliorem statum redigere conatus esset. Nam ad hanc rem quam parauerat, annum continuum, curasque omnes impenderat, libellum quoque gallice elegantem Regis non indignum commendatione ediderat: sed mala alicuius mens, malus animus, infenso

literis consilio, tam bonis auspiciis susceptum opus pessime euertit.

Neque solum, quos illi necessitudinis aut communis vitae ratio coniunxerat, ornare conabatur; sed etiam neminem qui ad illum accederet, nisi auctum gratia dimittebat: quo fiebat, vt non magis doctrina, quam honestate, insigne MARANI nomen vbique gentium spargeretur, essetque in illum aequa semper omnium existimatio. Prae cunctis tamen Cardinalis IOYOSAE & Ducis ESPERNONII, amor & obseruantia eminebant: quorum primus, cum ad Cardinalitii Ordinis Principatum peruenisset, ideoque grauiores Religionis res, in eum deferrentur, inconsulto MARANO nihil agebat: unde saepe accidit, vt ex eius priuata sententia, Diuina ipsa Ecclesiae Oracula ederentur. Neque igitur mirum, si Tolosanus etiam ArchiEpiscopus, cum Prouinciale Concilium moliretur, quo, deiectam Disciplinam Ecclesiasticam restitueret, illius maxime opera & stylo vti voluerit. Priuata beneuolentiae testimonia relinquo; quae sine dubio fuere innumera, dum secretiores animi sui sensus, in MARANI sinum effundebat.

Porro Dux ESPERNONIVS, clarorum virorum spectator optimus, postquam illum nouit, magnae esset auctoritatis apud

se

ſe voluit; neque ſolum ſemper in rebus domeſticis, aut interdum Aulicis, ſed etiam in his, quae ſunt Religionis & conſcientiae. A Fide Romana defecerat Dux CANDALA, quem ad Hugonotorum Haereſim inſanus amor allexerat. Hinc ESPERNONIO intolerabilis dolor, edax & immedicabilis. At dum queſtibus, & lacrimis indeſinenter conatur filium delirantem reducere; nihil habet prius, quam ad MARANVM confugere; cuius ductu rem tanti momenti optime gereret. Rediit tandem ad rectam ſemitam Dux CANDALA, diuina opitulante miſeratione. Tunc ſubito ESPERNONIVS laetitia totus geſtiens, poſtquam DEO grates perſoluit, nihil egit diligentius; quam facta omnia ſua ad MARANVM referre. Quae cuncta, eius virtutis & meriti, ſplendida ſemper erunt argumenta.

Ceterum in demerendis amicis illo nemo magis idoneus fuit. Hos inter peculiares habuit, quos numerem BARONIVM, PERRONIVM, OSSATVM, CASAVBONVM, FABRVM, Ludouici XIII. Praeceptorem, LOYSELLVM, RICHOMVM, SERRANVM, PITHOEVM, ARNALDVM, PAQVIERIVM, SERVINVM, BARCLAIVM, FABRVM, SANIORIANVM & BIGNONIVM; quem non amabat ſolum, verum charitate paterna com-

plectebatur; horum temporum nunquam immemor, cum illum Tolosae, confectis spatiis Iurisprudentiae, tertium Librum Decretalium suo suasu docte interpretantem audiret. Eius etiam filium HIERONYMVM, iuuenem adhuc in deliciis habere coepit. Is est BIGNONVS, qui in Senatu Parisiensi Fisci Patronus, virtutum & doctrinarum omnium complexu, in admirationem sui, Galliam nuper trahebat: quem extinctum nemo bonus non impense doleret hactenus; nisi totus quantus erat, in filiis nunc quoque spiraret. ROALDESIVM Praeceptorem olim suum, & eius immensam eruditionem, dum vixit, suspexit. Cum FRANCISCO SANCHES Medicinae Regio Professore, politioris Literaturae perito, cui sororem coniunxerat, vixit vnanimis. IOANNEM a COSTA, & CARDANVM intimae habuit necessitudinis: in quorum sinu semper erat, & familiaritate. His etiam annumerem ORONTIVM; etsi obscurus iacet sine nomine & ornamentis: cum tamen ex MARANI sententia, vir esset omni doctrinarum genere excellentissimus. Infelix! cuius gloria sub illorum tantum splendet cortice, qui eam sibi, non labore partam, sed furto subductam, nulla Domino habita gratia, in se transmouerunt: tanto Sicariis ipsis, alienarum Lucubrationum Praedones isti crude-

crudeliores; quanto dulcius eſt, in hominum memoria aeterna virtute viuere, quam non diu frui vita mortali, plerumque miſera, & aerumnoſa. Ex illis eſt Aurelianenſis nuper ille Profeſſor; qui cum crederet MARANI Scripta, nunquam eſſe in lucem prodituṙa, ac proinde ſe, impune poſſe eius diuitias inuolare; plurimas paginas Tractatus *de Iure Patronatus*, auro, vt ita dicam contextas, vili ſuo panno aſſuere minime veritus eſt. Denique PAVLVM CATELLVM fratrem vxoris quondam ſuae, quem Cardinalis IOYOSA in oculis ferebat, & quem PAVLVS V. ſummus Pontifex, ob multas bene obitas Legationes, Religionis ergo, in Cardinalitium Ordinem euexiſſet, tanto amore, quanto quis poteſt maximo complectebatur. Eius vero mortem adeo impatienter tulit MARANVS, vt ex hinc illum vitae ſuae multum taederet, parumque abeſſet, quin lux haec infauſta vtriuſque ruinam duceret. Caeteros illuſtres viros, quos vſu, familiaritate, & fama ſibi comparauerat, operoſum nimis eſſet recenſere: & ſufficit compendioſa oratione dicere; neminem ea aetate claruiſſe, qui MARANI beneuolentia, & laudibus clarere non ſtuduerit. Nam ſeuerus licet multum haberetur, ac ſaepe rigidus, omnium tamen animos inſigniter ſibi deuinciebat: morum

nempe probitas, & candor micans, accesſus eius omnem aſperitatem lenibant. Sic amicitias, quas ſemel contraxerat, ſemper cum dignitate retinebat. Ad annum Aetatis ſuae ſexageſimum ſeptimum peruenerat, ſatis proſpera vſus valetudine, cum e ſella retro imprudentius inclinata decidens, crus eius dextrum frangitur: qui caſus, magis ex intermiſſo officio, quam ex dolore acerbus, vehementer illum perculit. Ingraueſcente in dies malo, cum Medicorum ars & remedia incaſſum adhiberentur, nec niſi furcillis innixus ſtare poſſet, aut mouere ſe loco, munus ſuum deponere coactus non ſine lacrymis Academiae extremam ſalutem dixit. Porro reiectis a ſe libris omnibus humanarum Literarum, totos quinque reliquos annos in emendationem vitae peractae inſumpſit; nec alios, quam Sacros Codices, & quos Myſticos vocant, prae manibus habebat: in primis IOANNEM a IESV MARIA, & HARPHIVM quos ſolebat lectitare.

Cum vero amicorum plures ipſi quotidie aſſiderent, qui blandis verbis, & alloquiis eius dolorem mulcerent, nulli magis placebant, quam qui pietate ſpectabiles maxime, & qui de DEO, de Rebus Sacris, deque aeterna Beatorum felicitate ſermones haberent: quorum fuere duo praecipui IOANNES PVTEANVS, & GIRAR-

GIRARDELLVS, ille Augustiniani, iste Dominicani Ordinis Theologi, pietate non minus, quam doctrina insignes: quorum verba, ea cum voluptate excipiebat, vt a crure, nullus ipsi tunc esset doloris identidem grauissimi sensus, nullasque alias voces emitteret, quam illas, in quas saepe erumpere solebat: NIHIL PRAETER TE DOMINE, AVT NISI PROPTER TE.

Per annos duos, ante obitum, mentem omnem in sola mortis cogitatione fixerat, & continuo in actae vitae momenta scrupulosius inquirebat. Sic vbi praeteritorum errorum, vel leuissimorum memoria recurrebat, confessus illico, a se delicti poenas repetebat, & ad Sacram Synaxim, ter saltim in hebdomada accedebat. Quare tandem dignissimus, qui in Album Beatorum ascriberetur, imminenti fatali die, postquam bis in illa confessus esset, quae fuit tertia Eidus Decembris, Anni millesimi, sexcentesimi, vigesimi primi, mortalis vitae miserias, cum felici immortalitate, quam sibi tot laboribus pepererat, Academiae tunc Decanus, ἀποπληκτικὸς commutauit. Eius ossa Tolosae seruat Basilica Diui Stephani; quae clarissimi Viri HENRICI AVBERII Societatis Iesu Presbyteri Epitaphio decorari potuerant; si defuncti modestia, huiusmodi ornamenta sibi poni non vetuisset. Illud tamen, pace quod Mani-

um tantorum fiat, placet hic apponere:

Aeternae heic in spem vitae magni Ossa MARANI
Conduntur; qui dum Parcarum iura tulere,
CAESARIDVM & Iura Summorum oracula solers
PONTIFICVM explicuit: Moriensque id praestitit olim
Quod docuit viuens OBSERVANTISSIMVS AEQVI.
Namque ipse acceptum Terra, Terrae ipse Cadauer
Reddidit, aethereis Animum vnde effluxerat, Astris.
Quasque facultates sibi transcripsere Parentes,
Transcribens Gnatis SVA CVIQVE reliquit, Vbique
Viuens & Moriens OBSERVANTISSIMVS AEQVI.

Filios superstites reliquit, GERVASIVM, FRANCISCVM, & RAYMVNDVM; quos e prima vxore MAGDALENA CATELLA susceperat; cum altera sterilis fuisset.

FRANCISCO MARANO fauit quoque Cardinalis IOYOSA: nam Ecclesiae Tolosanae diui Stephani Canonicatum, vt aiunt, illi impertiuerat, & erat plura largiturus; nisi liberalitatis suae cursum mors intercepisset. Eo extincto non defuit fauor subito

ſubito Cardinalis VALETAE; qui plus eius iudicio tribuens, quam vlli omnium, quos haberet a conſiliis, illum omnibus officiis, & multis Eccleſiaſticis Beneficiis beauit. GERVASIVS & RAYMVNDVS viuente adhuc & ſpectante Patre, Ius vtrumque diu, ex Doctoratus munere, docuere.

GERVASIVS poſt mortem Patris, Toloſanus Senator factus, cum LVDOVISIA nobiliſſimi Viri IOANNIS a SANCTO PAVLO Libellorum Supplicum Magiſtri filia, coniugium iniit: ex qua habuit GVILIELMVM & IACOBVM. Cum autem vitae, & Sententiarum integritate in Virum praeclarum euaſiſſet, & a Curia ſecedens, vt attentius pietati incumberet, GVILIELMO, cum in illo, quae nunc eſt, ſumma aequitas eluceret, munus ſuum & dignitatem ceſſit. IACOBO diuinarum humanarumque rerum, & Eccleſiaſticae diſciplinae a natura praeſertim cupido, omnem operam adhibuit, quo poſt RAYMVNDVM fratrem ſuum, qui Patris tunc Cathedram tenebat, tertius aliquando MARANVS accederet, in quo & Aui & Patrui gloria perennaret.

RAYMVNDVS namque defuncti CABOTII Cathedram vna cum VERGERIO conſobrino ſuo ambiuit. Hunc elegit A-

cademia, ex MARANI Patris votis, valde exoptantis, ſibi iam morte proxima, filio ſedem ſuam reſeruaret. Quare non multo poſt, illo extincto, eius in locum ſtatim ſuffectus eſt RAYMVNDVS; qui ſolus potuit, praeclaris ſuis meritis, Academiae orbitatem ſolari. Lectiſſima Coniuge viduatus, quam e nobiliſſima BARTHOLOMAEORVM ſtirpe aſſumpſerat, Sacerdotum munero addi voluit. Et cum triginta annos vtriusque linguae peritiſſimus Iuris prudentiam docuiſſet, iamque in eo eſſet, vt Patris *Paratitlorum* opus interruptum, quod ante ediderat, conſummaret, occidit; relicto RAYMVNDO filio vnico, qui nunc in Senatu Toloſano hereditariae laudis tenax ius dicit, & numeroſa Prole maſcula, ſolus hactenus MARANIANAM Gentem gnauiter propagat.

Et haec eſt Effigies ingenii, & imago vitae viri celeberrimi GVILIELMI MARANI, eiusque poſteritatis: quam ſi non in auro vt Gentem auream deceret, complexus ſim; felix ego! ſi illam ſuis lineamentis in aere Typographico expreſſam, quod magnopere volui, exhibuero.

SCRIPTA

SCRIPTA
GVILIELMI MARANI

PARATITLA, in XLII. Priores Libros Digestorum cum Triplici Indice, priore Titulorum, altero Legum & Paragraphorum, tum Digestorum tum Codicis & Institutionum, quae in Operis discursu ab Auctore explicantur, postremo vero rerum & verborum memorabilium, Prodiit opus hoc, ni fallor, primum *Tolosae* sumptibus & cura RAIMVNDI MARANI filii, Antecessoris Tolosani A. MDCXXVIII. qui illud LVDOVICO Romanae Ecclesiae Cardinali de VALETTE inscripsit, inde recusum *Tolosae Typis Iohannis Boude & fratrum Henaut,* eo titulo quem iam recitaui, additoque *Tomo Altero* varios Tractatus Iuris Ciuilis Marani exhibente, Anno M DCLXXXIV. f. Primusque Tomus vsque D d d d d. coniunctis tribus plagulis, alter vsque L l l. duabus iunctis plagulis procedit. Historiam Operis huius ceterorumque Scriptorum Editor Filius, Praefatione praemissa exponit, his verbis: *Nouo itaque vsus beneficio Parens, ad Ius Ciuile animum tumprimum adplicuit, atque adeo eius artem, cuius necessitatem duobus* de Aequitate siue

ue Iustitia *commentariis*, & *Oratiuncula* De recta Iuris docendi ratione, *deque Antecessorum delectu, quae huius libri frontem occupant, demonstrarat, sibi putauit inquirendam. Nec vero certior vlla visa est, quam Paratitlorum methodus a Iustiniano praescripta, quibus octo circiter annos impendit. Quod vitae superfuit in illustrandis viua voce Institutionum Libris quatuor, aliisque miscellis scriptionibus ad varios Iuris vtriusque Titulos, eorumue praecipua Capita serio collocauit. Quantam eruditionis accessionem fecerit per viginti annos, quibus huic conatui superstes extitit vir laboris improbi, cuiuis liquet, atque adeo non esse hanc potissimae notae operam, vnde auctori magna gloria suppetat. Et certe inter publicas occupationes, quibus multis & magnis distinebatur, priuatorumque officiorum molem, & corporis, non tam senio, quam immodicis lucubrationibus effoeti, infirmitates, dum stata docendi tempora non intermittit, quaedam celeri consilio effusa exciderant, quae olim, si plenius otium emerito DEVS aliquis fecisset, sub incudem reuocaret. Haec te nescire nolui, Lector optime, vt si forte haec dictata expectationi tuae & parentis famae minus respondeant αὐτοσχεδιάσματα esse intelligas, ab ipso auctore tenebris damnata, nec secundam, cui obnoxia erant curam, consecuta. At inquies, quid caussae fuit, cur per vicennium non vacaret, adfectum opus absoluere? Mul-*

tae

tae magnaeque, ſed praecipua, quod parens, qui me non ſolum ad profeſſoriae dignitatis ſpem educabat, verum laborum ſuorum, & amoris in has literas aemulum eſſe cupiebat, partem extremam reliquit intentatam, in qua noſtra ſeſe experiretur induſtria. Hoc ipſo anno (1628.) ſpartam ex Patris voto traditam ornare coepi, non ante depoſiturus, ſi per fata liceat, quam reſiduos Pandectarum libros acurate verſauerim. Adde ſupra p. 170.

Praemiſſis his Paratitlis *de Aequitate ſiue Iuſtitia*, Commentarius.

Itemque

Oratio perelegans de *Recta Iuris docendi ratione deque Anteceſſorum delectu*, poſtridie Diui Lucae Anno M. DC. XII. in Schola Iuris Ciuilis habita, quae etiam ſeparatim prodiit *Toloſae 1615. 8.*

Tomus Alter, Paratitlis iunctus

Varios Tractatus Iuris Ciuilis exhibens *Toloſae* eorundem typis eodemque anno f. prodiit continetque:

Tracta-

Tractatum de Iurisdictione in genere.

Commentaria;

Ad Titulum de rebus creditis & de Condictione, si certum petatur, Digest.

Ad Legem XXXVIII. Frater a Fratre Digest. de Condictione indebiti.

Ad Legem XXXI. Bona fides, Digest.

Ad Legem XCI. In quartam, Digest. ad Legem Falcidiam & Legem XXIV. Filium quem, Codic. Familiae erciscundae,

Ad Titulum, de acquirenda vel amittenda possessione, Digest.

Ad Legem LXXVII. Actus legitimi Digest. de Regul. Iuris.

Ad Titulum de Iudiciis, Cod.

Ad Titulum de Iure Emphyteutico, Cod.

De Transmissionibus, siue ad Titulum, de his, qui ante apertas Tabulas ad Haeredes transmittunt Cod.

Ad Titulum, de Sententiis quae pro eo

eo quod intereſt proferuntur. Cod.

Ad Titulum, de Pignoribus & Hypothecis, Cod.

Ad Titulum, In quibus Cauſis pignus tacite contrahitur, Cod.

Ad Titulum, Si res aliena pignori data ſit, Cod.

Ad Titulum, de Actionibus, Inſtitut. Additi ſunt Indices copioſi.

Horum monumentorum editionem Praefatione Paratitlis praemiſſa, ſub finem promiſerat filius RAYMVNDVS ſed morte impeditus fuit idque praeſtitit Marani noſtri ex GERVASIO Filio primogenito, Nepos, IACOBVS MARANVS Toloſanae Eccleſiae Maior ArchiDiaconus & Academiae Anteceſſor, qui Toloſani Senatus Principi GASPARI FIEVBET eadem dedicauit, deque Vita Aui adiecit Narrationem a MEDONIO eleganter ſcriptam quam Tibi Benigne Lector exhibui.

De

De ceteris Marani Scriptis, quae vel adfe-
cta habuit, vel interciderunt, consule prae-
missam de vita rebusque eius Narratio-
nem p. 145. 147. 152. 159. 161. 165.

VITA
IANI A COSTA
Antecessoris Tolosani
Scriptore
IOANNE d' AVEZAN
Antecessore Aurelianensi.

CAdurci, quod erat natale solum, bene positis, iactisque liberalium, & ingenuarum artium fundamentis, parta omnigena *Latinae & Graecae Linguae*, peritia, amoeniorumque musarum amne traiecto, quorum omnium cognitio viam sternit ad grauiora, (nam vt rorem, & imbrem etiam adultae segetes poscunt, ita sublimiores scientiae literas.) *Biturix* ciuitas IANVM a COSTA prima vidit immensum Iuris pelagus intrantem, ibique occursantes scopulos, & vada obstantia superantem, hoc literario comitatu stipatum, & praesidio instructum suspexit. Fuerunt haec prima disciplinae tentamina omni ex parte felicia.

Deinde, vt incepta ad optatam metam perduceret, penitiora Themidis adyta, multo sudore mixto labori perlustrauit pectusque suum legum sacratiorum succo imbuit,

buit, eo voto, vt quidquid in iis operae & induſtriae collocaret, id totum DEO offerret, eique ſementis ſuae frugem ac meſſem omnem deuoueret, floccipendens ſine pietate literaturam quantumcunque excellentem, & eximiam, & merito certe: haec enim vere eruditionis baſis eſt, quae lato & laeto tramite ad nominis aeternitatem ducit.

Quam egregie hodierni Iuris Studioſi irent conſultum, ſi eius in hoc premerent veſtigia, virtuti, ſapientiae & pietati litantes, ac legum ſcientiae, quae eſt res ſanctiſſima, addiſcendae, ſerio incumbentes. Hic enim Iuriſconſultorum libros aſſidue legebat, illos in ſinu, in oculis habebat, quod eſt vere Auctores imitari, non libare tantum, ſed imbibere, & in ſuccum eos vertere & ſanguinem, ita vt non tam ille, quam Iuriſconſulti loqui & ſcribere viderentur. Animum laborum & vigiliarum mole praegrauatum horulis aliquot ſubſeciuis reficiebat conſortio & conuictu quorundam nobilium, eruditorum & proborum adoleſcentum, a quorum conſuetudine & affatu ſe meliorem ſemper & doctiorem rediiſſe saepe dicentem audiui, dum alii prodigi temporis, aut nihil agendo, aut male, non minimam aetatis ſuae partem deterebant.

His tandem gradibus, auſpicante & ducente propitia manu praeſtantiſſimo CVIACIO, qui ei liberaliſſime opem tulit in tyroci-

rociniis promouendis, & maturandis, (initia ſalebras ſuas habent, & moleſtias: reliquus curſus in procliui eſt.) intra vnius luſtri ſpatium ad arcem Iuriſprudentiae feſtinans aſcendit, imitatus nauigantes, qui acri malunt flatu in portum deuehi, quam ſegnibus ventis diu ludi, aut lentiſſimo tranquillitatis taedio laſſari, innumeris fere noctibus ſine ſomno & quiete operoſe tranſactis, vt quam citiſſime in oculis hominum, & in luce patriae verſaretur ſui praeceptoris dignus aemulus.

Adeo laborioſa eſt, & exercita res cupido proferendi ingenii, quae ſic illum torſit, & menti tam tenaciter adhaeſit, vt ſicut olim trophaea Miltiadis non patiebantur magnum illum Graeciae ducem Themiſtoclem ſomno indulgere: ita hunc dormientem excitabant e ſomno encomia & ſcripta omni genere doctrinae referta *Magiſtri* ſine exemplo *maximi*, qui in nocte, & tenebris ſui temporis, ſingularis eruditionis artifex, & maior genio ſaeculi exiſtens, lucem & vitam dedit renaſcenti in Gallia Iuriſprudentiae. Neque vllus vnquam tam alte penetrauit arcana Iuris Ciuilis & Pontificii, intimoſque receſſus, & latebras omnes indagauit, cuius ſcriptionem adſimilare ſoleo Timantis pictoris tabulis, in quibus plus ſemper aliquid intelligebatur, quam pingeretur. Hunc enim nunquam legeris ſine

fructu, & quo saepius legas, plus auferas, continua fertilitas est. Quum demis, nascitur, & cum omnia collegisse te putes, plus relinquis. Denique quicquid legitur in eius libris, nitet quidem & fulget in cortice, sed dulcius in medulla est; indeque fit, vt omnes candidi & aequi ingeniorum aestimatores eruditionem eius extollant, & suspiciant; ingenii illius monumenta, & labores in saeculi gloriam, & Reipublicae vtilitatem emensos laudent, & virtutem colant, nisi forte illi, qui nimia sui fiducia freti, & emissitios habentes oculos, maligne aliena opera carpunt, & subsannant; vel ii, qui cum suis virtutibus litare non possunt per alienae existimationis ruinam grassari ad famam contendunt, nec vnquam laudes alienas praedicant, nisi cum inuidiosa exceptione; similes illis, qui naeuulos egregio corpori inspersos acribus oculis rimantur. Sed isti omnes frustra sunt: melius facerent, ne idem illis accidat, quod ignem gladio fodientibus, qui scintillas in se plures & stricturas excitant. Nam & ipsa inuidia etiam inuita fateri cogitur, se tantum virum morsu suo appetere nunquam ausam fuisse, quod ab ea veritas, cui praescribi non potest, elicuit, deterrita potissimum fulgore pietatis, qua fuit spectabilis, cuiusque vestigia vbique apparuerunt: sed in eo indubie eluxit, quod dilectus

ctus & verax discipulus suis Studiosis saepe insinuauit, in familiari colloquio habito, cum iis de meritis & virtutibus Praeceptoris sui, deque cultu erga DEVM, se illum pluries vidisse affatim lacrymis effusis deflentem peccata sua post emissam confessionem poenitentialem, quam vocamus auricularem, quamque ipse agnoscebat esse, vt reuera est, efficacissimum remedium in Ecclesia DEI ad exonerandam & eluendam conscientiam scelerum sordibus, & solatium, perfugiumque tutissimum afflictis, & exulceratis memoria admissorum mentibus hominum vere Christianorum, & sine vllis pigmentis orthodoxam fidem profitentium.

Emenso fatalis & legitimi temporis curriculo, excusso puluere scholastico, quo IANVS A COSTA diu fuerat aspersus, editisque publice speciminibus insoliti, quem fecerat progressus in hoc arduo studio, ne aliquid honoris & gloriae cumulo deesse videretur, amplis, ac luculentis Professorum testimoniis & codicillis honorifice condecoratus, & *Magisterii* laurea donatus, dimissus est, ac demum patrios Penates repetiit, non segniter quiescendi, aut turpiter deficiendi animo, vt a plerisque malo more fieri solet, sed perrumpendi strenue quidquid se in iure offerret obstantium difficultatum; probe quippe nouerat, omnia maturitate & soliditate iudicii metiens, sicut agricola per-

dit, quod sparsit, si labores suos destituit in semine, nihilque in fructum peruenit, quod aequalis cultura non prosequitur: ita parili, id est, aeque iugi, & assiduo labore saepius recolenda esse praecepta artis aequi bonique, ne elabantur, quo sunt quaesita, & vt, quae in latifundio Iuris multa cura sata sunt, & cultura excreuerunt, perducantur ad segetem: in quo non mediocriter adiutus fuit familiaritatis vsu intercedente, & inducente diurnum nocturnumque colloquium cum ROALDO Viro clarissimo, & penitioris, ac politioris rerum abstrusarum scientiae supellectile instructissimo; tunc *Tolosae* in iuris professoria statione collocato, spartamque suam mirifice excolente & exornante; cuius literarii commercii commodo indesinenter vsus est, donec coelo redonatum est nobile illud pignus, ac depositum, quod terris commodauerat. Verum licet hoc fato superueniente triste senserit dispendium, tamen sicut cochleae, cum sitiunt aëris ac illis de coelo nihil illiquitur, succo proprio victitant; ita qui desertus fuit magni viri eloquii pastu, suo adhuc rore se sustentauit.

Quamuis autem hominem emunctae naris non lateret primarios etiam saeculi viros ignorari, nisi suo indicio demonstrentur, & notoris vice fungantur; maluit tamen de se submisse sentiens, modestiae velo tegere,

&

& adumbrare insignem eruditionem continuis vigiliis, & laboribus a se partam, quam in publico famae theatro propalare, eamque tandem non tam pruriente cupidine ingenii ostentandi, & aurae popularis captandae desiderio, quam publicae vtilitatis procurandae aucupio captus apud se consulto statuit eruere e tenebris in lucem: cuius laudabilis propositi exequendi ansam dedit cathedra *Cadurci* suo Doctore orbata, a pluribus quidem expetita, sed vnius dumtaxat pensandis, & remunerandis meritis destinata & debita. Et, vt illam apisceretur conuenienter rationi, & modo praescripto, totis animi viribus contendit, quod ei felici exitu successit; nam actu solemni & legitimo rite peracto, & expedito, in eum vnum omnium votis conuenientibus & concordibus suffragiis concurrentibus fuit *Antecessor* renuntiatus, solo merito ambiente, & virtute fauente, an. M. D. XCIII. vel XCIV.

Valde gloriosum est, & honorificum, ad hoc munus per legitimos tramites sine fuco & fallaciis peruenire: inglorium contra, & turpe per sutelas, & decipulas. Nec quisquam dici potest huic obeundo idoneus, nisi prius indefesso, nullaque fere interiecti temporis quiete alternato labore, & in veste sudata sibi Iuris diuitias comparauerit, (hae merces, quae sunt sine pretio pretiosae, non

alio aere parantur) quae non ſolum in rerum cognitione, ſed & in verborum proprietate conſiſtunt. Quapropter aſſueſcendum eſt puriſſimo Iuriſconſultorum ore loqui, quod qui non faciunt, illos non tantum inepte loqui, ſed etiam ſentire neceſſe eſt, & a Iuris mente turpiſſime aberrare, cum verba ſint rerum notae, & indices. Ideo enim nominum & verborum diſtinctio fuit introducta, vt rerum proprietas inter ſe diſtingueretur. Fatendum quidem eſt, cum natura rerum conditum ſit, vt non poſſint omnes ſuis certis ac propriis vocabulis nominari, neceſſitatem aliquando cogere aliunde ſumere, & contra naturalem proprietatem aliam proprietatem vſu inducere, de qua verborum inopia ipſi etiam Iureconſulti conqueruntur ; quod interdum & abſque neceſſitate contingit, vſu ſcilicet pro arbitrio propriam ſignificationem detorquente, quam licentiam, vſu deficiente, ne maiorum quidem gentium interpretes ſibi temere adrogare debent, & multo minus ii, qui ſunt imi ſubſellii.

Et dulces profecto ſunt, atque ſuaues, ſed ad ridendum garruli quidam & verboſi, qui ſibi Iuriſprudentiam vindicant, & praeſumunt, lacerant, docent, antequam didicerint, adducto ſupercilio grandia verba, ſed rebus explicandis minus apta, trutinantes inter imperitos, eoque audaciae proſiliunt,

vt

vt edisserant aliis, quod ipsi non intelligant, doceant, quod ignorant, & ne hoc quidem sciant, quod nesciunt. Hi nunquam efficient, vt Academiae, in quibus se Ius docere falso putant & palam gloriantur, illustri fama sint, & optima opinione floreant, licet omnia sua studia, & conatus eo dirigant: quod tamen exposcit communiter *Antecessoris* officii ratio, cuius potissima pars est iuuentutem plerumque natam ad purpuram, & patriae gubernacula, formare & imbuere veris & indubitatis sapientiae & scientiae Iuris documentis, vt semina literarum, docta manu sparsa, subacto adolescentiae solo, ad solidam aliquando frugem efflorescant nec tantum ornamenta sint Rei publicae, sed robur & fundamentum stabilitatis. Atque in hoc omnes vires, & neruos ingenii exercuit IANVS A COSTA, vir nunquam laudatus satis, vt quod docebat, vel legum, vel iura constituentium auctoritate fulciret, resque discriminaret, subiecta verborum proprietate, exemplo veterum Iuris conditorum, qui eam semper affectarunt, & in ea scrutanda fuerunt anxie diligentes. Secus hodie plerique faciunt, adulterantes per summum nefas Iuris prudentiam, detorto in prauum sensum natiuo verborum significatu, traditisque falsis axiomatibus, quae fingunt, & refingunt ad libitum, & e suo iecore promunt, speciosa qui-

dem incruſtatione obducta, ſed ſine vllo Iuris teſtimonio, iisque pro veris obtruſis decipiunt, & corrumpunt tenera adhuc adoleſcentum ingenia. Haec vero a me dicta, ne quis quaeſo, opinetur maleuolo quodam alicui nocendi propoſito, id factum ſcribo, nulla notata perſona. Mea mens non eſt quempiam inſimulare ſocordiae, vel inſcitiae, carpere, notare, vel calumniari. Mea mens eſt aperire, quibus dotibus praeditos eſſe oporteat Anteceſſores, vt publice prodeſſe poſſint, ſibique & famae ſuae conſulere & eos, qui iis deſtituti ad hoc grande munus accedunt, ſe culpae reos facere, immiſcentes ſe perperam rei ad ſe non pertinenti.

Vix autem quadriennium, aut quinquennium vir magnae dignationis in Academia *Cadurcenſi* exegerat, cum eo euocato in *Toloſanam* Anno M. D.XCIX. cardo publicae illius Scholae felicitatis ad fatalem quendam flexum viſus eſt vergere: iſtius vero firmari magis, & ſtabiliri. Atque haec extraordinaria euocatio ſingulari praerogatiua ſubnixa, & migratio in eam ciuitatem, quam legum nutricem vere quis appellet, vt *Berytum* olim *Iuſtinianus* Oratione ad Anteceſſores Pandectis praefixa, facta Principe iubente, Senatu auctoritatem praeſtante, totoque Profeſſorum Collegio rogante & poſtulante, fuit nouus ſtimulus & calcar,

calcar, quo incitatus ad hunc ſcopum collimauit omnes cogitationes & molimina, vt inſeruiens publicae vtilitati in functione ſui muneris, opinioni & expectationi, quam de ſe concitauerat, faceret ſatis, idque abunde impleſſe, vel ex eo conſtat, quod Iuriſprudentiae inter alios hoc ſaeculo famam ſuſtinuerit, in id ſtrenue deſudans, vt vtriuſque Iuris puriſſimos latices propinaret ſtudioſis, qui ipſius nominis celebritate illecti cateruatim ibant Toloſam, tamquam ad nundinas optimarum artium ac ſcientiarum, maxime vero Iuris: quorum quaedam praeclara ingenia ita formauit & erudiuit, vt partim patriae columina in publicorum munerum ſuſceptione, partim Academiarum extiterint lumina. Nec illum vnquam deſtituit & contentio bene de omnibus promerendi. Et, vt erat candidi & ſinceri pectoris, toto ſinu in eos amorem ſuum effundebat, & ſumma comitate, quae ei erat innata, omnia ſuis diſcipulis indiſcriminatim, ex ipſo velut ſapientiae penetrali partite ſuggerebat, & ſubminiſtrabat, quae erant conducibilia ad ordinanda & maturanda ſtudia, eoſque hortabatur, & excitabat ſaepius, vt honeſtarum rerum, & ingenuarum artium amorem imbiberent, ſed Iuriſprudentiam prae aliis amplecti praecipua eſſet cura, ne neglecta Penelope, famulis eius magis adhaerere viderentur. Nulli

vnquam

unquam se asperum vultu, aut sermone contumaci praebuit. Collegas suos semper obseruauit, carosque habuit quasi iure & nexu fraternitatis sibi coniunctos, &, ne quid iurgii vel rixae suboriretur, quo dissociarentur, neque frequentia auditorum neque raritate quasi aduerso, vel ferente vento nunc extolli inani gloria, nunc moerore, ac tristitia deprimi visus est, quo tamen mentis & iudicii deliquio multi hodie laborant. Vtinam omnium, qui iuuentuti erudiendae & formandae praeficiuntur, eadem esset ratio, & modus agendi: Praeceptorum quippe fere mores in adolescentum migrant ingenia, & ab iis mutuantur, quod in omnem aetatem transmittunt. Beatum ego me iudico, cui tanti viri institutione per quinquennium integrum frui, eiusque disciplinae submitti, & viua voce sensa ipsius animi expressa accipere datum est; habet enim nescio quid latentis energiae viua vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat.

Quae vero, qualis, quantaque fuerit in illo non Iuris modo, sed liberalium quoque & ingenuarum artium peritia, liquido euincit accurate elaboratum, limatum, & omnibus numeris absolutum opus eruditissimarum *Notarum in quatuor Libros Institutionum*, in quo vis ipsius ingenii super

eminet

eminet, & ita ſentiunt, qui melioris do-ctrinae guſtum, & ſenſum habent, quique talia ſuis pretiis arbitrari poſſunt: cuius operis editio, vt eſt omni ex parte expurgatum, & emaculatum, accepto ferenda eſt curae & operae exactiſſimae viri docti & de re literaria, literatiſque optime meriti *Germani Nyvard* in ſuprema Regni Curia cauſarum Patroni. Sunt & alia eiusdem Auctoris ſcripta, quae a pluribus priuatim, ſed partite manu verſantur, nondum publico monumento conſignata, quae tamen, breui intermiſſo tempore, vt ſpes non fallax affulget, in ordinem congeſta, & collecta lucem videbunt, victura, & robore ſuo permanſura, quamdiu ars aemulatrix naturae & humanitatis genius in terris celebrabuntur; continent enim traditiones, ex quibus poteſt exſculpi foecunda Iuris Canonici, * & Ciuilis diſciplinae ſeges

* De ipſius in Ius Canonicum meritis illuſtris Vir NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS, eruditisſimis obſeruationibus quae *Gundlingianorum* nomine prodeunt *Parte VIII. p. 194.* haec veriſſime praedicat: Ianum hunc veſtigiis Antonii Auguſtini ArchiEpiſcopi Tarraconenſis inſiſtentem, eundem ſuperaſſe; Eruditos hunc Cuiacio ſimilem agnoſcere; *Ianumque* in enarrando Iure Canonico eam attuliſſe eruditionem, quam in Ciuili Romano-

ges, indeque ſumi poſſunt ineluctabiles rationes ad expugnandas & euertendas quorundam Interpretum opiniones, qui non tantum naeuos, ſed etiam errores, ſtipulas, & fumos in Pontificiam & Ciuilem ſcientiam ſcriptis ſuis inuexerunt, eamque deturparunt, & impuris manibus contaminarunt, quae tamen maculae facile eluentur, & errores extracti e latebris ſuis euaneſcent ſtatim, atque in lucem producentur.

Adeo autem eius nomen inclaruit etiam apud exteras gentes, vt Magnatibus & Optimatibus totius Europae non ignotum nec

---

rum adhibuerit Cuiacius; *Ianum*, monſtraſſe qua ratione Decretales Pontificum Epiſtolae ex Hiſtoriae Eccleſiaſticae monimentis, haecque ex iſtis inſignem accipere poſſint lucem; Docere hanc viri ſolertiam Commentarios ad Decretales Gregorii IX. quas electiſſimis Graecorum Latinorumque cum ſacrorum, tum profanorum Scriptorum locis, mirifice illuſtret; eum non admittere ineptas vulgarium Iuris Canonici Interpretum fabellas; Breues quidem eſſe ipſius Commentationes, vno tamen folio, meliora & ſelectiora adferre, quam integra volumina, vulgarium compilatorum, qui cuncta ſine iudicio conſarcinant, tandemque ſubiungit Toloſanam Academiam Iani eruditione & doctrinis ſolidiſſimis illuſtratam fuiſſe,

nec inuisum extiterit: vnde effectum est, vt quoties negotium magni momenti inter eos vertebatur, in quo de Iuris apicibus disputabatur, & ex subtilitate Iuris erat intricatum, vt necessaria esset summa legum notitia, consuleretur, & totius controuersiae decisio ex eius iudicio, penderet. Et, ne fugitiua obliuio, aut taciturnitas subducat laudes debitas illius existimationi, praetermittere non debeo, saepe *Tolosae* in coetu & conuentu consultissimorum Patronorum non solum exquisitae Iuris Doctrinae, sed etiam vsus, triturae forensis cognitionem in aspectum, lucemque protulisse cum astantium admiratione, & stupore, palmamque tulisse, post exhausta, & in medium emissa omnia argumenta, isti intentionem suam fundari posse autumabant, calculo suo indictis testimoniis ex libris Iuris sumptis, & rationibus ex ipsius causae visceribus ductis communito, rem, de qua agebatur, dirimentem & profligantem. Addo non vna, sed pluribus vicibus aditum fuisse, eiusque sententiam exploratam super quaestionibus suis difficultatibus nobilitatis, quae in foro ventilabantur, & in quibus definiendis Senatus Tolosani diuisa erant Tribunalia, & Consilia. Reticere non placet inuitatum, rogatumque fuisse a *Summo Pontifice* propositis ingentibus praemiis, oblataque dignitate illustri Con-

Conſiliarii Rotae *Auinioni*, quae erant potentiſſima irritamenta & incitamenta, vt eo ſe conferret, ibique ſedes ſuas figeret, Iuris publice docendi cauſa: atque ab Academiis *Bituricenſi*, & *Bononienſi* fuiſſe cum elogio euocatum: quibus tamen gloriae & lucri illecebris, ac delinimentis ſe vinci paſſus non eſt, hiſque poſtpoſitis, modeſte tamen & comiter (vt erat prudentiae, & vrbanitatis plenus) repudiatis, maluit patriae ſuae vtilitatibus inſeruire, & inter primarios ſui ſaeculi viros non infimum locum obtinens, ſpartam, cui ſe totum addixerat & mancipauerat, noua Iuris opum adiectione ditare & locupletare.

Haec quidem magni fecit, ſed multo pluris, ſe notum, gratumque fuiſſe viro praeſtantiſſimo & Illuſtriſſimo *Hieronymo Bignonio*, in ſupremo Franciae Senatu Regis Aduocato Catholico, quo Gallia nihil vnquam tulit doctius, nihil vidit ſol humanius aut melius. Dignus erat trium Neſtorum aetatem viuere, ſi ita DEO viſum. Vltimum tempus non expectant, quae in paruo maturuerunt, & vt ignis, quo clarius fulſit, citius extinguitur: ſic ingenia quo illuſtriora, breuiora ſunt. Occidit ergo ſidus illud literarum, ornamentum Senatus, Galliae decus anno M.DC.LVI. Imo non occidit; viuit adhuc, duobus filiis illuſtriſſimis & doctiſſimis ſuperſtitibus, paternae virtutis & pro-

bitatis

bitatis viuam & ſpirantem imaginem referentibus, nec non vbique indubia generoſi ſpiritus argumenta edentibus, quorum vnus Patri dignus Hercules Atlanti ſucceſſit in functione ſummi muneris; alius vero in Senatorio ordine agit, bono publico.

Exacto & abſumpto a IANO a COSTA triceſimi vnius anni circulo, (qui volui coepit anno M D XCIX. & finitus eſt anno M. DC. XXX.) in excolenda, & exornanda Academia *Toloſana*, quo temporis decurſu nihil prius & antiquius fuit viro magno, quam vt e ſuo ſeminario & palaeſtra iuuenes non doctiores ſolum, ſed meliores exirent, nec praeceptis tantum, ſed & exemplo ſuo, quod eſt efficaciſſimum docendi genus, intelligerent, quales eſſe deberent in publicis priuatiſque muniis obeundis & exercendis, de ea dimittenda, & de reditu in *Cadurcenſem* cogitauit, in qua primitus fuerat adſcriptus & cooptatus in album Anteceſſorum, quod ei petenti, & poſtulanti ſine mentis ingratae nota denegare non potuit, nec aliter effugere exprobrationem iacturae & labis non exiguae, quam illi intulerat recedendo & deſerendo, multoque minus potis fuit reſiſtere violento impulſui amoris patriae, qui naturaliter eſt omnium animis inſitus. Et, vt deliquio diutino quod in eo non ſola Academia *Cadurcenſis*, ſed etiam vniuerſa

Prouincia patiebatur, tandem medicina afferretur, ſolemni decreto ſtatutum fuit in Comitiis totius prouinciae, id volente, & nominatim permittente Principe, vt euocato ex Academia *Toloſana*, & iure quaſi poſtliminii reſtituto *Cadurcenſi*, ſtipendia longe ſolitis vberiora & pinguiora adſignarentur de publico & ſoluerentur, non vt donum praeſtitum, ſed vt praemium repenſum quod fuit ſpecimen florentis prouinciae, & virtutis amantiſſimae. Haec vero honorarii & palmarii opulentioris conceſſio fuit argumentum euidentiſſimum inaequalitatis merito conſtitutae inter hunc, & caeteros Profeſſores, quorum nullus ei inuidere iſtam publicam liberalitatem potuit, vel debuit. Inaequalitas eſt, vbi quae eminent, notabilia ſunt, alias non eſt, ſi nimirum omnia vndique in vnam aequalitatem concurrant; veluti admirationi non eſt vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylua ſurrexit. Iſtius peritiam & merita ſupereminere notiſſimum erat, ac proinde cum regenda, & metienda ſint praemia & mercedes ſecundum modum, & qualitatem meritorum & virtutum, aequum iuſtumque fuit, hunc maiori praemio & honore affici, vt hoc ſtimulo felicius incitaretur. Voluiſſet procul dubio, ſi potuiſſet, Academia *Toloſana*, totusque togatorum ordo taciturnitatis velo obumbrare conceptum

ptum intimis ſenſibus dolorem ob illius improuiſum & inopinatum diſceſſum & mutationem ſtatus & conſilii; ſed ita alte vulnus adactum erat, vt ſilentio, aut diſſimulationi locus non eſſet. Diu iacuit Cathedra in ſqualore & moerore; manſit enim quatuor prope annos viduata tanto viro, nec ante paſſa eſt alium in eius locum ſuffici, quam certo ſciuiſſet, praeciſam eſſe omnem ſpem futurae reuerſionis, ita annuente Senatu & Academia optante, cuius praecipue cauſſa in eo vertebatur; nam fuit fere exhauſta & euacuata, Iuris ſtudioſis vndique confluentibus & euntibus *Cadurcum*, cui plagae ſanandae nondum inuentum eſt emplaſtrum ſatis aptum. Arduum eſt & difficile doctrinae & ſapientiae parare famam, ſed parata nunquam intermoritur, & vbique terrarum comitatur, quae res vſu venit huic noſtro Iuriſconſulto incomparabili, ex cuius fama & exiſtimatione nihil decerptum, aut defloratum fuit, deſtituta & deſerta Academia *Toloſana*, imo magnum incrementum accepit, noui honoris & gloriae acceſſione, quae ortum duxit ex amicitia contracta, & inita ſtudiorum ſocietate cum Illuſtriſſimo & Doctiſſimo *Petro Habert de Montmor* Epiſcopo Cadurcenſi. Non ignorarunt viri optimi, familiare eſſe virtuti delinimentum exercitii rerum ſeriarum, &

quae ſunt altioris diſquiſitionis, tractatio-
ni immixtum ſenſibus admouere, ideoque
cenſuerunt viros quoſdam ſelectos, eru-
ditione inſignes, & probitate morum com-
mendabiles cooptandos, & aſciſcendos ſi-
bi eſſe, cum quibus certo loco, ſtatiſque
horis conferre poſſent familiari colloquio
habito: quae res fuit feliciter ad effectum
perducta, conuenientibus in vnum viris
doctiſſimis, in quorum coetu & conuen-
tu varia de variis quaeſtionibus agitanda
proponebantur, maxime vero de iis, quae
contingebant veterem Eccleſiae Politiam,
& interpretamentum Conciliorum & Ca-
nonum, de quorum natiuo intellectu non-
dum conueniebat inter omnes; quorum
actuum arbiter & moderator conſtitutus
fuit communi caeterorum conſenſu Ante-
ceſſor celeberrimus. Et, vt liquido con-
ſtaret de iis, quae controuertebantur, vni-
cuique dabatur facultas ordine ſuo pro-
mendi ſenſa animi, ſymboliſque a ſingu-
lis prolatis & inuicem collatis, nec non
diligenter mira ingenii ſoliditate & ſaga-
citate excuſſis, ac libra iudicii pondera-
tis, ea potiora & penſiora habebantur,
quae plus lucis afferebant ad illuminan-
dam veritatem e tenebris erutam, & quod
decernebatur, ſcriptis conſignabatur. Vti-
nam hae tam egregiae & perpolitae lucu-
brationes publici iuris & lucis eſſent, quae
Reue-

Reuerendis Patribus Carthusianis Cadurcensis Ciuitatis ex praescripto dicti Domini Episcopi traditae fuere ab ipsius nepote Viro illustrissimo & reconditae ac sublimioris rerum disciplinae scientissimo *Henrico Habert de Montmor* inter Comites Consistorianos, & Libellorum Supplicum Magistros praestantissimo, qui & alios plures Codices manu exaratos & compositos ab eodem Praesule, iisdem Religiosis iussus tradidit, in quibus agitur de rebus sacris & diuinis, & ad Theologiam pertinentibus. Quae omnia opera vitam solitariam viuunt, & in vmbra delitescunt. Verum spes est nec vana nec inanis, fore aliquando vt Patres Carthusiani caritate moti, quae non quaerit, quae sua sunt, sed quae aliis profutura sunt, inspicit, & Rei publicae contemplatione impulsi libertate donaturi sint tam excellentes ingenuorum & nobilium parentum partus. Patres Carthusiani arctioris & sanctioris vitae instituto addicti licet saeculo renunciauerint, vt Creatori suo in arce contemplationis placere possint, & in perpetuo susurro cum DEO toti dediti sint sacris meditationibus, quorum claustrum paradisus esse videtur, si in hac vita esse possit, sciunt tamen publicam vtilitatem praeferendam esse priuatae vtilitati, iuxta illud, quod vulgo iactatur, omne bonum esse sui diffusiuum.

Poſt recenſitas virtutes & dotes IANI A COSTA Praeceptoris mei, quae in publicum ſpectant, reliquum eſt vt domeſticas, & larium, vt ſic dicam, ſubiiciam, quas (ſumma ſequar veſtigia laudum) libaſſe mihi ſufficiet. Multa in eum munera virtutum natura congeſſerat, quae ſi quis trutinet penſiore iudicio, neſciat, vtrum in eo dona corporis magis, an mentis excelluerint. Fuit hilari & laeto vultu, oculis viuidis & rutilantibus, vim & aciem ingenii patefacientibus, denique perfecta pulchritudine & habitu corporis ornatus. Hoc viro non vixit ſub ſole officioſior & ad genus humanitatis accommodatior. Nunquam piget meminiſſe profuſae comitatis, qua ſemper fui ab eo exceptus haerentque meditullitus in animo meo ſuaues illi & bene conditi ſermones, quibus me ad virtutem amplectendam & ſtudium Iuris obfirmato animo capeſſendum, hortabatur. Fuit ingenio felici, memoria tenaci, iudicio acri, & ſagaci conſpicuus; & nobili genere natus prudenter adiunxit maiorum imaginibus ornamenta doctrinae; tantum enim abeſt, vt inſignibus natalium hoc conſortio literarum ſit offectum, quin imo illuſtriora ſunt effecta: honeſta quippe profeſſio ornat potius omnem, quam deſtruit nobilitatem, vel dignitatem. Ceterum vt iſtius qualis qualis encomii rudi peni-

penicillo delineati vltima linea ducatur, dici poteſt non minus vere, quam belle in hoc Clariſſimo Anteceſſore, quae in aliis fere ſingula, fuiſſe vniuerſa. Vnum addam, illum poſt emenſos & conſumptos quadraginta tres annos in profeſſoria iuris publici docendi ſtatione, extremum vitae actum peregiſſe die XXVIII. Auguſti Anni M. DC. XXXVII. nec diu colluctatum cum ſaeuitia morbi pie, placide conſtanterque deceſſiſſe e vita. Sic docuit vltimum diem non eſſe grauem optimo Viro, qui nemini vixerat grauis.

SCRIPTA
IANI A COSTA.

I. Interpretatio ad Capitulum: *Cum Martinus, IX. de Conſtitutionibus*, quam ipſe Anno M. D. XCI. edi curauit, inſertam poſtea a FRANCISCO de LAVNAY Summariis in Decretales Gregorii IX. p. 7.

II. Summaria ſiue *Dictata in IX. priores Titulos Libri Primi Decretalium*, quae totidem Tractatibus ſuis adiunxit Anno M.DC.XLI. FRANCISCVS FLORENS Anteceſſor Aurelianenſis.

III. *Recitationes* siue *Commentarii in IV. Libros Institutionum priores & posteriores.* Has primum doctorum virorum consilio iunctim publici iuris fecit eruditissimus in Foro Parisiensi Causarum Patronus GERMANVS NYVARD vid supra *p. 189. Lutetiae Parisiorum Anno* M. DC. LIX. atque *Hieronymo Bignonio* Comiti Consistoriano & in Supremo Galliarum Senatu Aduocato Catholico Regiaeque Bibliothecae Praefecto inscripsit, qui Nyvardo auctor fuit vt hasce Commentationes ederet. Iterum, cum fierent rariores prelo dedit IOANNES van de WATER ICtus Batauus, *Traiecti Batauorum*, 1714. 4. cui editioni, quae textum Institutionum ex Iacobi Cuiacii editione habet emendatissimum, accessere Annotationes & Notae THEODORI MARCILII IC. & MARCI ANTONII MVRETI, vt & M. TATII ALPINI Dissertatio *de Furto per lancem & licium concepto.* ¶ Commentarium hunc IANI a COSTA editor secundus vocat: *excellentem doctrinaque & legum peritia refertissimum, qui ob insignes quibus supra ingentem Commentariorum cumulum eminet ingenii dotes in lucem fuerit protrahendus*, tandemque subiungit: *Eum qui attento studio hunc Commentarium inspexerit non posse non ingenii eruditi aciem, quae in abditos Iurisprudentiae recessus penetret, proti-*

protinus offendere, quique nouerit, quid distent aera lupinis abunde deprehensurum hunc Iuris Romani explanatorem ad magni Ducis exemplum a communi & peruagato interpretandi more immane quantum recessisse, narisque emunctioris lectorem Institutiones perite, neruose ornateque tractatas conspecturum.

IV. *Summaria & Commentarii in Decretales Gregorii IX. P. P.* quae conseruauit idem doctissimus causarum Orator G. NYVARD, in manus autem eruditorum lucemque produxit eruditissimus FRANCISCVS de LAVNAY, Andinus, in supremo Galliarum Senatu Causarum Patronus, atque illustrissimo Senatus Parisiensis Principi *Guillelmo Lamonio* scita epistola inscripsit *Luteciae Parisiorum apud Viduam Edmundi Martini & Augustinum Besoigne M. DC. LXXVI. 4. Mai.* Vere hisce de Commentariis praedicat doctissimus LAVNOYVS editor: *Duplex huius nostri libelli dos est, quod Romanarum Legum & Iuris Pontificii miram collationem continet; & quod Ius Canonicum, opinione eorum, qui credi se cupiunt disertos, ex maxima parte Gothicum priorum & posteriorum temporum illustribus*

historiis fultum, Graecis Latinisque litteris ornatum, electissimis sanctorum Patrum sententiis illustratum exhibet. Omitto quod plures infulatos laureatosque viros manifesti furti insimulat. Addit: *Ceterum si quid in his scriptis sanctissima Gallici Imperii Iura labefactare credas, id saeculo, id patriae condonabis.* Adstipulatur elegantissimus ICtus IOANNES van de WATER excitata Praefatione: *Neque tamen Romani, sed & Pontificii Iuris peritissimum fuisse IANVM A COSTA luculenter demonstrant doctissimi ad Decretales Commentarii, in quibus Iuris Pontificii rationes, naeui, errores, frigidaeque hallucinationes aperiuntur, eiusque arcana mysteria ex obscura seculi illiterati historia clare deteguntur, luceque perfunduntur.*

V. Vne Consultation Françoise de Monsieur Iean de la Coste: *Si l' Archidiaconé est incompatible avec vne Cure*, quae Summariis in Decretales Gregorii IX. adiecta p. 596. extat.

VI. Com-

VI. Commentarius ad Nouellam III. D. Iustiniani, vt determinatus ſit numerus Clericorum ſanctisſimae maioris Eccleſiae & ceterarum Conſtantinopolitanarum Eccleſiarum, qui, itidem laudatis additus eſt p. 600. Summariis, ſed perbreuis eſt.

VII. Commentarius ad Nouellam V. de *Monachis*, breuis extat l. c. p. 602.

VIII. Recitatio Solemnis *ad L. cum Societas 69. π. pro Socio*, in ſuo ſuper Inſtitutiones Commentario p. 363. Edit. Pariſ. iam explicata, cum additionibus autem & correctionibus nonnullis, reperitur l. c. p. 605.

Alia IANI Scripta nondum edita latent, quorum editionem optat IOA. van de WATER his verbis: *Vtinam reliqua tanti Viri monumenta, quouis auro pretioſiora, aliquando ex ſqualore & ſordibus in laetas*

tas luminis auras extraherentur, atque blattis & tineis, a quibus tales periturae chartae, tanquam res derelictae, occupari ſolent, liberarentur. De quibus laudatus iam ſupra FRANCISCVS de LAVNAY haec memorat: *Superſunt non pauca IANI a COSTA in* quoſdam Titulos Digeſtorum & Codicis, *quorum editionem cum aliorum Doctorum ſcriptis, ſub titulo* Reliquiae Iuriſconſultorum, *decora Fori Pariſienſis ingenia adornant.*

VITA
FRANCISCI FLORENTIS
Aurelianenſis primum, deinde Pariſienſis Anteceſſoris opera & ſtilo
IOANNIS DOUIATII.

IN *Alexienſi* * Burgundiae Ducalis tractu, patre *Ioanne*, in Senatu Diuinionenſi Aduocato, matre Renata *Ardillionia* natus eſt FRANCISCVS FLORENS, vergente ad finem Seculo ſuperiore. ** Is, emenſo apud Heduos ſuos Grammaticae curriculo, ac ſolidae poſitis vtriuſque linguae, omniſque humanioris literaturae fundamentis, Toloſam petiit anno M. DC. XV. in antiquiſſimo illo Muſarum domicilio, ac Legum prae caetetis altrice ciuitate, operam Iuriſprudentiae daturus; verae nimirum Philoſophiae, quae vitae dux, iuſtitiaeque rectrix optima merito cenſetur.

Nobile illud Athenaeum ſua luce tunc feliciter illuſtrabant eximii Iuriſconſulti, quo-

* a Arnay le Duc en Auxois.

** Id eſt decimo ſexto.

quorum elogia alterius loci & ſtyli ſunt, GVILIELMVS MARANVS; IOANNES A COSTA ex Cadurcenſi Academia; VINCENTIVS CABOTIVS ex Aurelianenſi euocatus; I. CADANVS aliique. Et ceteros quidem Anteceſſores audiuit: ſed MARANO praeſertim & COSTAE adhaeſit, qui ambo magni quondam CVIACII Auditores fuerant, tanto digni Magiſtro. Hi prae ceteris, minus antea cognitam atque a praeſtantiſſimo Doctore ſuo acceptam vtriuſque Iuriſprudentiae, ex optimis Latinitatis auctoribus & prophana ſacraque hiſtoria illuſtrandae atque interpretandae viam, praeclare triuerunt, & ex parte etiam amplificarunt. COSTAE recitationibus per ſex annos ſe aſſiduum interfuiſſe FLORENS ipſe profitetur in Praefatione ad Tractatus Nouem in primos totidem Titulos Decretalium. Sed praeter quotidiana Anteceſſorum dictata, quae interdiu excipiebat; praeteritas MARANI & COSTAE praelectiones ab aliis acceptas exſcribebat nocturnis vigiliis; Tanta inerat diſcendi auiditas.

Inter condiſcipulos, quos in palaeſtra iuridica nactus eſt PETRVM de MARCA, Benearnum, FRANCISCVM BOSQVETVM Narbonenſem, INNOCENTIVM CIRONIVM Toloſatem, ſcriptis ſuis omnes poſtmodum claros, memorare iuuat:

iuuat: cumque his TROCHAEOS Fratres Parisienses, PETRVM CHVPPAEVM & - - - MAQVINVM Andegauos. Horum prioribus, & Togae munia ad Ecclesiasticas primi ordinis dignitates sua gradum virtus & eruditio fecit: MARCAE ad Episcopatum Consorannensem, deinde ad ArchiEpiscopatum Tolosanum, ac tandem ad Parisiensem; BOSQVETO ad Luteuensem primo, inde ad Montispessulani Episcopatum. CIRONIVS Cancellarii Ecclesiae atque Academiae Tolosanae munus egregie impleuit. TRONCHAEORVM alter Praesidis, Consiliarii alter honore in Senatu Parisiensi fulserunt. CHVPPAEVS & MAQVINVS Iuris peritia excellentes, ille in Academia postea Tolosana, hic in Andegauensi Antecessoriam Cathedram suo merito assecuti sunt. Innotuit praeterea FLORENS praecipuis doctissimi Senatus Tolosani proceribus, hospitio imprimis exceptus a *Ioanne Gualberto Caminada*, Praeside infulato, vt cum eius filio *Philippo*, praeclarae indolis tunc adolescente, postea cinguli paterni successore dignissimo, iunctus familiari consortio, per quotidianos sermones ipsius studia iuuaret. Eum ego, vt ab vtroque perliberaliter & honorifice cultus, ab aliis haud paucis benigne habitus fuerat; Tolosarum nostrorum singularem in literatos homines huma-

humanitatem, nec ficto, nec perfunctorio elogio praedicantem non semel audire me memini. Sic Iuris vtriusque hausta puris e fontibus scientia, eiusque pleno quasi flumine inundatus FLORENS per Bituriges, (vbi semel aut iterum EMVNDVM MERILLIVM conuenit) in patriam redux, Aduocatorum in ordinem relatus est, atque annis aliquot in Senatu Diuionensi cum laude versatus. Id Vir Clarissimus *Carolus Ferrettus* testatur in *Dialogo de Claris Fori Burgundici Oratoribus*: vbi FLORENTEM cum *Benigno Millotetio* Senatore, & *Nicolao Cheuanio*, Fori eiusdem Patrono, ea de re colloquentem inducit. Ibi apud Praesidem *Girusium* patrem, qui olim *Cuiacii* auditor, assidua lectione & meditatione in consummatissimum euaserat Iurisconsultum, familiariter vixit: siue ipsius Bibliothecae curator, siue filii studiorum rector, qui felici ingenio in propriam tandem perniciem infeliciter est abusus.

Verum ad maius Theatrum vocabat FLORENTEM natus ad maxima quaeque genius, & digna amplissimo quouis munere doctrina. Primo ferme *Lutetiam* aduentu Magistratibus primariis notus, atque in pretio fuit: ab *Henrico* in primis *Memmio*, Praetore tunc Parisiensi, ac postmodum Praeside primi ordinis, domum inuitatus, quae (pro nobilis & eruditae gentis illius more)

more) doctorum virorum, in quocumque scientiarum genere praestantium; commune semper ac nobile velut receptaculum fuit. Is, vt *Bosqueti* aliorumque, & postremo *Henrici Valesii*, sic intermedio tempore, FLORENTIS nostri opera, annis aliquot vsus est. Hic ex *Memmii* amicitia facilem habuit aditum ad hominum eruditorum, quotquot fere Parisiis tunc agebant familiaritatem; *Hieronymi* dico *Bignonii*, *Hugonis Grotii*, *Iacobi Sirmondi*, *Puteanorum Fratrum*, *Petri Haberti*; pluriumque Aduocatorum, in quibus *Petrus Pithoeus* (*Antonio*, *Petri* & *Francisci Pithoeorum* fratre natus) *Ioannes Vassanus* (eorundem Pithoeorum sororis filius) *Nicolaus Rigaltius*, *Carolus Labbaeus*, *Ioannes Iobertus*, *Claudius Capellanus*, *Iacobus Bobaeus* Caroli Molinaei nepos, & *Guilielmus Bluetus*.

His praesidiis, propriisque meritis suffulto *Aurelianensem Antecessuram*, quae aucto ante aliquot annos a quaternario ad senarium, ob concertantium copiam numero; iamdiu obitu *Radulphi Fornerii* vacabat, ambiendi sese obtulit occasio. Itaque post doctorales ex vtroque Iure Theses propugnatas, obitasque publicas praelectiones, FLORENTI qui has velut probatorias Recitationes suas ediderit, Antecessorium munus adiudicatum est Senatusconsulto quod prolatum fuit Maio mense M. DC. XXX.

Ab eo tempore in *Aurelianensi* Auditorio FLORENS Ius vtrumque magna cum laude per annos ferme quatuordecim docuit: sed ita, vt feriarum tempore *Lutetiam* subinde excurreret excolendis amicitis tum ante memoratis, tum recentioribus aliis, atque in primis *Ludouico Nublaeo* & *Aegidio Menagio*.

Ansa inde amicis data de eo ad *Parisiensem Scholam Iuridicam* euocando, cogitandi. Vacuum in ea locum fecerat mors *Alexandri Haenautii* de *Beauregard* Antecessoris. Itaque agente *Philippo Buisinio* Antecessorum superstitum postremo, qui apud *Matthaeum Molaeum* Generalem eo tempore Regis in Senatu Procuratorem primum, postea Praesidem ac Sigillorum Custodem, in gratia erat, atque accedente *Nublaei* opera ea res faustum tandem habuit exitum; cum *Ioannes Dartisius* Antecessorum Primicerius & *Claudius Butellerius* Secundicerius tanto intercessori FLORENTIS cooptationem denegare religioni duxissent. Vt autem amplissimis conditionibus ea euocatio institueretur, per *Petrum Habertum, Vabrensem* postmodum Antistitem, apud *Petrum Seguierium* Franciae Cancellarium, propria eruditione aeque ac eruditorum patrocinio nunquam satis laudatum, effecere *Buisinius* & *Nublaeus*: idque eo facilius a *Seguierio* impetratum, quod is FLORENTEM *Petro Seguie-*

rio

rio Tanaguidi Praesidis filio, spei reliquae familiae suae, Praeceptorem Iuris destinabat. Sic regiis Codicillis FRANCISCVS FLORENS Antecessor Aurelianensis ad similem in Parisiensi Academia dignitatem propter eminentem Iuris vtriusque scientiam translatus est. Regiae in eum annuarum mille ducentarum librarum munificentiae literas apud Rationalium tribunal, non sine grata iustaque FLORENTIS commendatione *Ioannes Bocheratius* retulit, vir & ipse literatus, & literatorum amans, ordinis eius Decanus. Fixis in vrbe principe laribus, FLORENS ipso mense *Iunio* anni M. DC. XLIV. quo euocationis Rescriptum in Acta Senatus relatum fuerat, Recitationes suas in Auditorio Parisiensi est auspicatus. Hinc Academicis exercitationibus sic incubuit, vt paulatim haec ipsi occupationum pars non maxima fieret. Non quod functionibus suis deesset: sed eum eruditi pariter & eruditionis auidi, pro se quisque inuitabant, adibant; non officii tantum & colloquiorum iucunde miscendorum causa, sed vel magis consulendi, aut ex liquidis ipsius fontibus hauriendae doctrinae. Congressibus in primis prope quotidianis plures per annos cum primariis Libellorum supplicum Magistris *Guilielmo Lamonio*, *Michaele Marilliaco*, *Ludouico Bocheratio* Ioannis ante memorati filio, (qui prima omnes in

 Se-

Senatu, aut in Regio Consistorio loca dignissime postea tenuerunt, aut adhuc tenent) ardua quaeque Iuris argumenta disceptauit. Quin & non paucis priuatis sed selectis Auditoribus vacare coactus est. Instituti ab eo tum alii, tum *Petrus Seguierius*, de quo mox diximus, Praepositus paulo post Parisiensis, & . . . *Turneuilla* Rothomagensis, *Emerici Marci de la Ferté* Cenomanensis Episcopi Fratre, natus, acerbo vterque fato in aetatis flore abrepti; tum *Dionysius Talonius*, *Ioannes Douiatius*, (quem fas mihi pro gentis nostrae capite reuereri) *Carolus Raueria*, *Iacobus Verrerius*, *Ioannes Chuppaeus*. Hi tres in Foro principe florent causarum patrocinio: *Talonius* Audomari, Generalis in Senatu post *Iacobum* fratrem, Aduocati, filius, patrui nunc, patrisque non magis nomen ac dignitatem successor obtinet, quam praeclaras laudes quasi haeres nominis implet, ac nobili velut aemulatione propriis cumulat. *Douiatius* vero paterni, vt muneris, ita ingenii (quod haud quaquam vulgare) heredem se praestat eximium.

Transactis publico applausu, in Antecessoris apud Parisios officio annis paulo amplius sex, fatali necessitati concessit, *Aureliani*, quo per ferias Autumnales ad visendos veteres Collegas & componenda negotia domestica diuerterat. Ibi me aliud cogitan-

gitantem paulo ante amica adhortatione excitauerat ad publicam Iuris interpretationem ſuſcipiendam, quo me vocabat etiam eodem tempore *Ioannes Dartiſius*, oſtenſa Profeſſorii muneris ſpe, quo ipſe Regio in Collegio fungebatur. Quorum vtrumque citius quam optaueram, amborum non tam ope ac ſuffragiis, quam obitu adeptus, hoc illis in gemina Profeſſione deceſſoribus meis grati animi teſtificandi cauſa poſtremum officium debere putaui, vt eorum opera, quanta poſſem diligentia tanquam praetioſas reliquias vndecunque collectas, bono publico ederem.

Sepulturae honorem ſortitus eſt FLORENS in Coemiterii maioris *Aurelianenſis* fere meditullio addita hac Epigraphe: FRANCISCVS FLORENS * *ad Arnaeum*

 Ducis

* Summus Polyhiſtor CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS *Epiſtolarum Arcanarum T. II. Epiſt. CCLXXII. p. 556. ad Ioannem Georgium Eichornium:* De FRANCISCO FLORENTE *Iureconſulto ſic habe. Fuit is ortu Gallus & Anteceſſor Aurelianenſis & Iuris Pontificii Profeſſor, hiſtoriae & Iuris apprime narus, in hanc operam maxime incubuit, vt de ordine & auctoritate collectionis Gratiani commentaretur. Secutus eſt Antonium Auguſtinum & monitore Ioanne a Coſta pleraque accuratius inueſtigauit. Hunc imitati ſunt Maſtrichtius & Zieglerus, qui Antiquitates*

Ducis nobile apud Heduos oppidum honestis parentibus & probis natus, post nauatam per aliquot annos apud Tectosages Iurisprudentiae operam: primum Diuioni in Senatu causarum Patronus, deinde Lutetiam profectus, Acroamaticus in Foro dicere coepit; mox in Aurelianensi ciuitate Antecessor, Ius ibi Ciuile & Canonicum docuit: & pluribus editis Operibus, palam fecit in Iure Canonico neminem ante se aut plus vidisse, aut potuisse. Aureliae fatali morbo interceptus, hic

---

Ecclesiasticas cum Iuris Pontificii disciplina non inutiliter coniunxerunt. Extant eius Opuscula Lutetiae Parisiorum edita, inter quae insigne est de vsu & auctoritate Pallii. Nec praetereunda est eius Disquisitio historica de praerogatiua Allodiorum in Prouincia Narbonensi & Aquitanica quam nouissime recudendam curauit Argentorati Ioannes Schilterus. (in quo tamen fallitur eruditissimus Vir, nam haec Disquisitio est *Antonii Dominici,*) *In Conciliis diligenter versatus est, non tantum in generalibus, sed etiam in Gallicanis, vbi ducem Sirmondum habuit, ac iura Ecclesiae eiusdem regni modeste, & sine Pontificis insectatione defendit adhibitis etiam historiae adiumentis sine quibus obscura est ratio explicandi huius Iuris. Inprimis Acta Innocentii III. & Philippi Augusti eiusque diuortium & poenam interdicti Ecclesiastici exquisiuit, rationibus & rerum argumentis cum antiqua Galliae consuetudine collatis.*

hic situs IV. Kal. Nouembris Anno M. DC. L. resurrectionem expectat. Vbi mirum sane auctores euocationis Parisinae, quasi dedecori esset, aut ipsi in vrbem principem asci-tum atque in ea docuisse, aut Aurelianensi Iuris Scholae eius primitias delibasse qui dignus fuerit habitus quem optaret Academiarum omnium parens.

FLORENTIS doctrinam & scribendi rationem eius ingenii monumenta testantur. Moribus fuit probis, candidus & vere Christianae pietati addictus, vt appareret eius menti alte insedisse Religionis Catholicae veritatem. Vnde & Apostolicam Sedem Romanam sincera veneratione colebat, sine detrimento tamen Iurium Ecclesiae Gallicanae. Quoad licebat in Parochia sua diuinis intererat; aut quando Conciones Ecclesiasticas non vacabat audire, earum loco S. Ioannis Chrysostomi Homilias lectitabat. Auditores suos, quos habebat peculiares, ante annum studii Iuridici tertium aegre patiebatur forum audiendis caussis frequenter obire: iacienda prius affirmans Iuris Ciuilis fundamenta, quod sub haec initia alieni mixturam non admittat sine graui confusionis periculo. Cum vxore concordissime vixit. Nomen illi *Elisabethae Bordeaussiae*, quam duxit Iulio mense Anni M. DC. XXXVIII. Ea soror erat natu minor . . *Bordeaussiae* nuptae *Iacobo*

cobo Gyvezio Fiſci Patrono Aurelianenſi Natae ambae . . . *Bordeauſſio* Ciue & ipſo *Aurelianenſi*, qui non mediocribus honeſta negotiatione partis opibus, mercaturae vale dixerat.

Filias FLORENS reliquit Tres: quarum vetuſtiſſima *Roſa Maria* ab Illuſtriſſimo *Guilielmo Lamonio*, qui Senatus poſtea Princeps, ex ſacro fonte ſuſcepta, Viro nobili *Antonio Dammartino Gironuillae*, Legionis Ramburanae veteris Legato nupſit. Altera *Franciſca* meliorem partem eligens, DEO ſe conſecrauit, Sanctimonialium albo in *Sanctae Vrſulae Balgenciacenſi* Coenobio adſcripta, vbi ſancte ante paucos annos mortalitatem exuit. Tertia *Eliſabeta*, Viro illuſtriſſimo *Dionyſio Talio* ſponſore ſacris vndis luſtrata, virtutis formaeque conſpicuae, in connubio eſt Viri nobilis *Iacobi Clerici* Domini de Doüy, in Praeſidiali Aurelianorum Sede Conſiliarii digniſſimi.

Vxor FLORENTIS alteris cum *Franciſco le Grand* Fiſci Aduocato in Tribunali Aurelianenſi initis nuptiis, non multo poſt tempore nullis ex eo liberis exceſſit e viuis. Haec propriis partim oculis colloquiisque mihi cognita, partim ex familiaribus Autoris noſtri amicis, *Nublaeo* in primis, *Menagio, Chuppaeo*; partim ab ipſius in Aurelianenſi

nensi Academia digno successore, *Haymone Prusto Camburgio* accepta, vti ad me peruenere, ita bona fide putaui reddenda.

SCRIPTA

FRANCISCI FLORENTIS.

OPERA OMNIA iunctim edita sunt cura & studio eruditissimi Antecessoris Parisiensis qui de Vita ipsius narrationem confecit IOANNIS DOUIATII, *Parisiis M. DC. LXXIX. 4. duobus Voluminibus*, nostrisque in oris eximiae plane sunt raritatis. Quae cum adhibita licet omni diligentia exquirere non potuerim, accuratam eorundem recensionem dare haud possum, qua in caussa, quum nulla mea negligentia interuenerit Tuam *Lector Benigne* indulgentiam mihi exoro. Ex his scriptis quae vno corpore exhibuit DOVIATIVS, singulatim prodiere:

Dissertatio *de Methodo & Auctoritate Collectionis Gratiani & Reliquarum Collectionum Decretalium post Gratianum*, expressa iterum formis *Noua variorum Scriptorum Collectione p. 299.* vsque *337.*

Diſſertatio *de Origine, Arte & Auctoritate Iuris Canonici* recuſa extat excitata Noua variorum Scriptorum Conlectione p. 209. vſque 298. quae ante editionem omnium operum a *Douiatio* facta, adeo rara fuit, vt nec eruditiſſimus Vir *Gerardus a Maſtricht* Syndicus Bremenſis, de Iuris Eccleſiaſtici Hiſtoria commentans, illam anxie licet quaeſitam, inſpicere potuerit.

Diſſertationes de *Lege Dioeceſana* & *Exemtionibus Religioſorum, Pariſiis 1630. 8.*

Diſſertationum Selectarum *Iuris Canonici Libri Duo*, quibus ſubiicitur Commentarius *ad Tit. de Vita & Honeſtate Clericorum, Pariſiis 1632. 8.*

Oratio *de recta Iuris Canonici diſcendi ratione* in aperiendis Scholis Iuris habita VI. Non. Octobr. *Pariſiis 1634. 8.* quam recudi fecit ex illuſtris GVNDLINGII commendatio-

datione forsan & Bibliotheca doctissimus Vir qui *Nouam Scriptorum Variorum Conlectionem* dedit *Halae 1716. 8. Fasciculo I. p. 338. sequ.*

Disputatio *de Nuptiis Consobrinarum prohibitis aut permissis, Parisiis 1636. 8.* & *Francofurti 1643. 8.*

Tractatus *de vsu & auctoritate Pallii ad Tit. VIII. Libri Primi Decretalium, Parisiis 1640.*

Tractatus Nouem in IX. priores Titulos Libri Primi Decretalium Gregorii IX. additis *Iani* a *Costa Summariis in eosdem Titulos, Parisiis* apud *Cramoisy 1641. 4.*

Praefatio de *Dispensationibus Ecclesiasticis 1648. 4.*

Memo-

Memorat R. P. IACOBVS le LONG *Bibliotheque Historique de France Supplementis Libri Secundi Hist. Eccles. Franc. p. 903.* extare in Bibliotheca *Mr. Ioly de Florent* Procuratoris Generalis Parliamenti MSCt. Florentis hoc titulo: *Discours de François Florent Iurisconsulte au suiet de la Regale.*

VITA IOANNIS DARTIS

Antecessoris & Comitis Regiique Sacrorum in Academia Parisiensi Professoris

auctore

IOANNE DOUIATIO

Regio Sacrorum Canonum Professore.

IOANNES DARTIS apud *Cadurcos* in ipsa primaria Ciuitate Anno Christi M. D. LXXII. natus est in aedibus paternis, quae in Paroecia S. Andreae sitae, vaenierunt Petro de la Fage in Curia Subsidiorum Superioris Aquitaniae Consiliario.

Ortus Parentibus Catholicis, iisque inter medii ordinis ciues honestis, ac re familiari, quod pro loci & genii conditione sufficeret instructis: Patrem habuit *Petrum*: matrem *Burguinam d' Andral*: Fratres natu maiores *Ioannem ac Petrum*, quemadmodum ex eius Testamento & Codicillis colligitur.

Postquam humaniorum Literarum, ac pietatis in Cadurcensi Patrum Societatis Iesu Gymnasio tyrocinium, non mediocri

iam

iam tum edito ingenii ſpecimine, poſuit; ad *Rutenenſes Scholas*, Philoſophiae praeceptis informandus, a Parentibus miſſus eſt, hortante auunculo ſacri ordinis viro. Ibi cum *Ioanne Tariſſe* (qui tum Ceſſenonenſis Prior, poſt Benedictinorum ſeuerioris diſciplinae ſiue Congregationis S. Mauri Generalis per Galliam Praepoſitus fuit) arctiſſimam amicitiam Anno M. DC. contraxit: atque exacto Philoſophici ſtudii curriculo, cum eo Ceſſenonem eſt profectus, quod Occitaniae municipium eſt in S. Pontii Tomeriani Dioeceſi; vbi per triennium optimarum artium ſtudio coniunctim incubuere. Inde reuerſus ad ſuos Dartiſius, Iuri operam nauauit in *Cadurcenſi Academia*, quo in ſtudio a N. *le Franc* Anteceſſore paterne adiutus, *Baccalaurei* titulum meruit. Verum, cum poſtea de Prioratu Ceſſenonenſi orta lis eſſet, ac Tarriſſii Ius in dubium vocaretur; Aduocatus illico Dartiſius, *Toloſam*, eius litis explicandae cauſa, cum amico accurrit. Qua occaſione non modo clariſſimos Anteceſſores, GVILIELMVM MARANVM in primis audiuit, & celeberrima in Academia, tum Iuris, tum Theologiae (cui operam eodem tempore dabat) Doctoris inſignia conſecutus eſt: ſed & NICOLAO VERDVNO, eius tum Senatus Principi innotuit. Huic autem breui ſic probatus

eſt,

eſt, vt Bibliothecae * ipſi ſuae curam vir integritatis praecipuae, nec vulgaris eruditionis, offerret. Quod anno huius Seculi XII. effectum habuit, translato Pariſienſem in Senatum Verduno.

Tum vero contigit vt eodem tempore & ipſe operam Verduno ſuam oblaturus, vltro *Lutetiam* cum *Tarriſſio* proficiſceretur; & *Verdunus* Literas daret *Toloſam* perferendas, quibus DARTISIVM ad ſe inuiſendum adiecto viatico inuitaret. Coaluit ergo ſtatim inter eos ſocietas ſinceriſſima: neque enim famulatum DARTISII dici *Verdunus* pro ſua benignitate volebat; comitem illum, & amicum ſuum profitebatur. Huius ille officiis ſic deuinctus, vt vinci nollet, pinguiores conditiones aliunde oblatas conſtanter reſpuit; Eccleſiaſtica praeſertim Beneficia, quae in futuri laboris praemium oſtentabantur; tum quod obſequioſum illud, vt ita dicam ſimoniae genus auerſaretur; tum etiam quod forte de Nuptiis cogitaret; quod de Claudia pure amata circa id temporis ſcripta per eum Epigrammata ſuadent. Vacante

* Compara DARTISII Tractatum *de Beneficiis Parte II. Operum* p. 1. & Epiſtolam IOA. *Douiatii*, qua *Pomponio de Bellievre* Senatus Pariſienſis Principi, Opera Dartiſiana dedicauit fol. 1.

cante deinde per ſpontaneum *Nicolai Odini* diſceſſum, Anteceſſoria Pariſiis Cathedra, poſt aliquot Recitationes, ac ſolemnes Diſputationes, adnitente quidem Patrono, ſed ſuffragantibus maxime ingenii eruditioniſque dotibus, anno Chriſtiano M. DC. XVIII. die XXIX. Maii, Anteceſſor renunciatus eſt, & ſolemni ritu ab *Hugone Guijon* Facultatis Canonicae Decano inauguratus.

Ipſo autem *Guijonio* poſt quinquennium mortuo, vacuam eius obitu Regiam Canonum Profeſſionem eſt adeptus, anno currentis Seculi XXIII. Nec tamen his occupationibus diſtrictus, a *Verduni* latere prius diſcedere voluit, quam ipſe *Verdunus* e viuis Anno M. DC. XXVII. exceſſiſſet. Moecenatis ſui funere plenae libertati redditus reliquae vitae rationem ſic iniiſſe videtur, vt ſeſe ſuſcepta Iuris Profeſſione quodammodo inuoluens, verſandis aſſidue exarandiſue Artis eius ſcriptis vnice vacaret.

Indefeſſum eius, tum in Recitationibus, publiciſque aliis actionibus, tum in priuata lectione ac ſcriptione laborem exque eo doctrinae ſacrae ingentem cumulum & famam, teſtantur qui ſuperſtitem nouerunt. Opuſcula fere quotannis aliqua in lucem emittebat, Canonica inprimis, ſed humaniorum diſciplinarum, non minus

quam

quam Ecclesiasticarum Antiquitatum necessario apparatu illustrata. Lusit etiam Poetice non raro, aliquando & Gallice. Opera eo superstite edita, quae vix venalia reperire erat, Tertia operum parte edita sunt, prout vnumquodque nancisci licuit.

Extat praeterea non vulgaris doctrinae Opus tribus Libris comprehensum, de *Ordinibus & Dignitatibus Ecclesiasticis*, in quibus breuiter respondetur ad Apparatum & Tractatum *Claudii Salmasii de Primatu Petri*, ad Illustrissimum Virum *Petrum Seguierium* Franciae Cancellarium, quod anno M. DC. XLVIII. editum adhuc facile inuenitur. Tractatum de *Consanguinitate & Affinitate* anno M. D. XXIII. typis mandatum, aliaque, praesertim oratoria, titulo dumtaxat tenus nobis nota, memorare necesse non fuit. Liber de *Canonica Ecclesiae Disciplina circa Poenitentiam* cum *Oratione* * pro *Canonici Iuris Facultate* per

P Bene-

* Oratiuncula haec, siue potius *Epistola* ad Vrbanum VIII. extat *Part. III. Operum Edit. Paris. p. 129.* eaque summam sui desiderii his verbis lepide exponit Pontifici: *Ita est ergo*, PONTIFEX MAXIME, *nos in tanto labore, quantum fas est cogitare, in hoc Iuris studio, quasi dorsum habuerimus ad lumen, nullis sumus illuminati* BONIS *& Tibi, & Regi, & Ecclesiae, &*

Benedictini Ordinis Monachum Anno M. DC. XXVI. summo Pontifici VRBANO VIII. est oblatus, ab eoque laudatus; addi-

---

Rei publicae seruientes nostris stipendiis militauimus, atque vt cochleae, quibus nihil de coelo illiquitur, succo proprio victitauimus, Isidem & Cererem legiferam coluimus, sed sine spica; Cathedram habuimus, sed sine Cathedratico, Canones omnes Ecclesiae tenuimus, sed nullum canonem pecuniae; Adoptati honoribus sumus, sed abdicati bonis, filii luminum vt Beniamin propter doctrinam sumus, sed & filii doloris propter laborem, & in nostram perniciem veluti Bellerophontes Codicem Iuris perpetuo gestamus, ausimque dicere quod terra scholae nostrae pars est illius terrae quae spinas & tribulos peperit ac similes quae inde sequuntur querelae tandemque subiungit: *Rogamus igitur hoc praecipue Iubilaei tempore (Anno M. DC. XXV.) quo portae gratiarum & indulgentiarum omnibus patent, vt defectui in posterum succedat ubertas, & eadem claue promus reseras horrea, qua condus nos in Museo occlusit Honorius.* Inde expressis verbis: *quaedam Britanniae Minoris beneficia* pro Schola Pontificii Iuris Parisiensi expetit. Quum autem apud Pontificem frustraneae essent querelae, easdem ad Ill. Virum D. *Nicolaum* de *Bailleul* maiorum Gentium Praesidem Reginae

additis mandatis ne ab incoepto desiste-ret: & cum ex *Tolosana* Academia prodiisse auctor diceretur, redditum ei quoque Academiae luculentum ab eodem Pontifice testimonium. Sed de *Parisiensi Facultate* (quam nullis subnixam publicis stipen-

---

Cancellarium & summum vtriusque Aerarii ac sacrarum largitionum Comitem & Super Praefectum detulit DARTISIVS, pro stabilitate Scholae Iuris Canonici mirifice solicitus Libello supplici, P. III. Oper. p. 135. quo copiose de praemiis literarum literatorumque, quos Mercuriales vocat, differit, tandemque subiungit: *Quae cum ita sint Vir Maxime & summe rerum ac rationum arbiter, Nos Regii Professores ad te confugimus, & cum simus aves Parnassi a pennis petimus auxiliatum, Nos Regii cum simus, cum Poro petimus, vt ab omnibus Regie tractemur, & cum pauperes simus, cum Diogene quoque petimus, ne, quid nobis auferatur. Ecce quietem, otium ac solitudinem ipsae literae requirunt & magni Principes:*

Dum curam imponunt populis dant otia Musis.

Vbi vero haec quies, hoc otium, haec solitudo, si Lectores Regii suis stipendiis & pensionibus priuentur. Et quibusdam interiectis: *Adsis igitur nobis & praesta vt Scholae nostrae aeterna auctoritas existat & ne nulla inquietudine, aut nostra minuatur vtilitas, aut Parenti nostro Francisco Primo gloria derogetur.*

diis Auctor dolebat) collato Britanniae minoris aliquo Sacerdotio; aliisue quae stipendii loco essent, copiis subleuanda, iniecta licet per *Nuntium Apostolicum* spes irrita cecidit. Nec meliorem exitum sortitus est in id longo post tempore comparatus supplex ad *Richelium* Cardinalem Libellus, quem tanto viro porrigi, tum negotiorum continue sibi succedentium immensa moles, tum ipsius *Richelii* superueniens obitus prohibuere.

Deficiente itaque omni aliunde subsidio, ipse de suo Collegium iuuare constituit. Quamuis enim non ita magni reditus ex munere Professorio, Ecclesiasticisque aliquot beneficiis suppeterent, nihilominus frugalitate singulari ac diuturna effecerat vt tanto incoepto non omnino impares ipsius facultates viderentur.

Testamento die XIV. Martii M. DC. XLI. condito, ac tribus Codicillis partim confirmato, partim immutato, hoc supremum eius iudicium apparuit, vt haereditate Benedictinorum S. Mauri, vt vocant, Congregationi relicta, praeter pia in Ecclesias Beneficiorum, quae subinde obtinuerat, legata: viginti Librarum Francicarum Millia Facultati Decretorum, siue Iuris Canonici, legaret; cuius pecuniae, aut coemendorum inde praediorum reditus inter Antecessores, adiectis certis condi-

tioni-

tionibus, pro virili quotannis diuiderentur, Praeterea, nullum sibi intra cognitos successionum gradus cognatum superesse professus, paucorum amicorum mentionem cum aliqua liberalitatis aspersione faciebat : duorum inprimis Clericorum, quorum opera vsus domi fuerat ; *Guilielmi Morin*, qui post in Paraecia Sanctae Mariae Magdalenae Parisiensi Presbyter, ante quinquennium obiit, & *Maturini Langlais*, e Montisfortis Rotrodi Cenomanensis Dioecesis oppido orti, quem per annos vitae postremos duodecim famulum fidissimum expertus, literis instituerat, ac Baccalaurei honore decorari curauerat. Per eundem, vtpote manui suae & scribendi rationi assuetum, lucubrationes suas nondum editas, in modum redigi mandauit, quo typis commodius committerentur. Id *Langlaeus* praestitit in *Commentariis ad Gratianum* & *Tractatu de Beneficiis*, quae nunc in lucem prodeunt : Praestitit & in reliquis magna ex parte, vberioribus nempe in *Libros quinque Decretalium Commentariis*, *Epitome Canonica*, Notis seu Commentariis ad *Quatuor Libros Institutionum Iustiniani*, quae omnia suo tempore publici Iuris futura speramus, cura haeredum ipsius, apud quos in S. Germani Pratensis Monasterio Schediasmata omnis generis & varii argumenti bene multa seruantur, tum la-

tina, tum gallica oratione ab auctore conscripta. In Decretalibus Gregorii IX. enarrandis, Sexti quoque & reliquarum Collectionum Quaestiones enucleauit. Vnde *primus omnium Interpretum* iustos, prisci Iuris Ecclesiastici, Historiaeque ac Philologiae luminibus instructos in vniuersum Iuris eius Corpus Commentarios scripsisse dici potest. Ex earum autem rerum notitia pendet verus haud raro canonum intellectus.

Supremae voluntatis suae procurationem Clarissimo ac Reuerendo admodum Viro, IOANNI BAPTISTAE de CONDES Regi a sanctioribus Consiliis, Ecclesiae Parisiensis Decano, non sine honoris praefatione nominando, commisit; quem Ecclesiasticae dignitatis, perspectae omnibus prudentiae, doctrinae, pietatis nomine dudum colebat. Huic in Legati praecipui executione Clarissimos & Religiosissimos Viros adiunxit PETRVM LOISEL eiusdem Ecclesiae atque Academiae Cancellarium, & IOANNEM HAREL Benedictinorum Congregationis iam supra memoratae Superiorem Generalem, eorumque in his Dignitatibus Successores.

At ne de commodo tantum Scholae suae cogitasse, decoris ac gloriae oblitus videretur, defuncto *Alexandro Hainaut de Beauregard*, Facultatis Primicerio, *Franciscum* *Flo-*

FLORENTEM *Augustodunensem*, Canonicae Iurisprudentiae laude celebrem, anno M. DC. XLIIII. ex Aurelianensi Academia in Parisiensem transferendum opimis conditionibus curauit, Clarissimo Viro *Philippo de Buisine* Collegarum altero huius consilii auctore & priorem FLORENTI locum vltro concedente. Cum vero vno eodemque autumno Anni M. DC. L. tum FLORENS, tum tertius Collega *Gabriel de Boutilier*, geminatis funeribus elati essent, Dartisius iam prope octogenarius, vigiliis praeterea laboribusque confectus; cum non intermissa prius (quod per *Comitiuam*, & vacationem, ex lege iam ante annos duodecim a Rege impetratam, licebat) Scholae munia obire vltra per valetudinem non posset, ad supplendum Antecessorum numerum animum adiecit, ne si ad vnum morte sua, quam imminentem agnoscebat, Facultas redigeretur, aduersariorum telis in illa orbitate facilius pateret.

His ergo de causis, cum de asciscendo Collega cogitaret, IOANNEM DOUIATIVM *Tolosanum* I. V. D. respexit, ac FLORENTIS monitu iam antea excitatum, hortatu suo impulit ad eiusmodi prouinciam capessendam. Idque quo certius procederet, e duobus muneribus, quae obtinebat, Antecessoris & Regii Professoris, in hoc, vt viuo sibi statim sufficeretur enixis-

ſima apud Eminentiſſimum Cardinalem Lugdunenſem commendatione ſcriptis paulo ante obitum literis, contendit; alteri ſimile vt conſequeretur, & tertiis Codicillis abſente DOUIATIO exaratis, & confecto Poſtulationis inſtrumento pro virili cauit.* Prius ſtatim ſequutum, poſterius dilatum, ſed poſtea, partim omnium, quorum ea res eſt, conſenſu aut flagitatione, partim Senatus auctoritate effectum.

Obiit in ſuo Scholae Decretorum Superioris Conclaui, longa, ex aetate, abſtinentia, labore, contracta tabe; obiit vero ſingulari, vt vixerat, pietatis vere Chriſtianae ſenſu, & raro inter dolores, patientiae exemplo die XXI. Aprilis Anni M. DC. LI. atque in S. Stephani a Monte Parochialis Eccleſiae choro ſepulturae honorem, mediocri vt mandauerat pompa, conſequutus eſt.

Ingenii atque eruditionis, tum reconditae, tum elegantioris vim priora, poſtumaque ipſius Scripta teſtantur. Statura fuit paulo ſupra mediam, corpore macilento, capillitio raro ac fere ad ſenectutem vſque nigro, qui color oculorum fuit: ſubfuſco vultu,

* Quam in ſe propenſam DARTISII voluntatem DOUIATIVS praedicat, Epiſtola, qua *Pomponio* de *Bellievre* Senatus Pariſienſis Principi, *Opera* ipſius *Canonica* inſcripſit p. I.

vultu, naſo aquilino, totoque corporis habitu, pro indole animi, ſeueritatem quandam exterius praeferente, quanquam non defuerat iuueni morum grata citra ſcurrilitatem, amoenitas. Haec ſunt quae de Viro eximio, memoratu digna hinc inde colligi potuere.

SCRIPTA
IOANNIS DARTIS

OPERA CANONICA, in Tres Partes diſtributa, *Pariſiis, ſumptibus Simeonis Piget, via Iacobea ad inſigne Prudentiae M.DC.LVI.* cura Patrum Benedictinorum ex Congregatione S. Mauri cum primis Domni *Lucae Dachery* Viri Clariſſimi & de orbe literato inſigniter meriti, ſed parum emendate typis impreſſa, quibus continentur:

Parte Prima:

Commentarii in vniuerſum Gratiani Decretum *, Tres itidem in Partes diſtincti, quarum

P 5

* De his Commentariis ipſe DARTISIVS Concluſione Libelli *de Statu Eccleſiae tempore*

quarum Parte I. Tractatus de Conciliis ad Distinctiones XV. & XVI. p. 53. Parte II. Tractatus de Poenitentia p. 360. & Parte III. Tractatus de Eucharistia p. 460. comparet.

* Obseruauit illustris Vir N. H. GVNDLINGIVS Dartem nostrum hoc opere quandoque fuisse plagiarium. Compara *Gundlingiana Part. IV. p. 289.*

Parte

Apostolorum a. 1634. primum editi, *p. 24. Part. III. Oper. nam mihi proposui aliquando* Decretum Gratiani *&* Decretales Gregorii Noni, *multa in iis vel supplendo, vel explicando, vel emendando in artem redigere, quod quantum sit opus, & quam vtile & compendiosum ad nostram doctrinam celeriter addiscendam, nemo est qui cogitans non statim intelligat egoque perterreor referens, ac nisi me Ecclesiae amor aut quorundam summatum virorum & Episcoporum fauor, aut DEI gloria ad id efficiendum excitaret, a tanto conatu facile desisterem, sed his tribus adminiculis adiutus, vt iam plurima in iis dilucidaui & diiudicaui, spero quod cetera DEO iuuante perficiam, qua propter vos etiam atque etiam rogo, vt faueatis: & quemadmodum sternutantibus omnes bene precantur, ita etiam vos idem honesta aggredientibus faciatis. Rogo insuper, vt me hanc & omnes lucubrationes meas, sine vlla contumacia Ecclesiae summittere credatis.*

Parte Secunda:

Tractatus de Beneficiis Ecclesiasticis.

Parte Tertia:

Opuscula varia potissimum Canonica, nimirum:

Liber Singularis *de Statu Ecclesiae tempore Apostolorum* ad Illustriss. Virum D. *Henricum Memmium* Sacri Consistorii Consiliarium & in Senatu Parisiensi maiorum Gentium Praesidem *Parisiis 1634. 8.* apud *Iacob. Duport* primum editus, p. 1.

Tractatus *de Hierarchia Ecclesiastica enucleanda*, ad Amplissimos Senatus Parisiensis Triumviros Regios, *Parisiis 1639. 8.* apud *Iacob. Dugast.* p. 25.

Tractatus *de Canonica Ecclesiae disciplina circa Poenitentiam eiusque veteres ritus* iuxta doctrinam Iuris Pontificii ad Clerum Ecclesiae Gallicanae Lutetiae tum congregatum *Parisiis 1625. 8.* apud *Iacob Duval* primum editus. p. 45.

Animaduersiones *in Annales Ecclesiasticos Caesaris Baronii S. R. E. Cardinalis & Isaaci Casaubo-*

sauboni Animaduersiones,* in quibus (addunt Editores) Baronius quidem tanquam ab Aristarcho arguitur, sed a Casauboni tanquam Phalaridis sagittis liberatur, ad *Antonium Seguierium* Sacri Consistorii Consiliarium & Senatus Franciae Praesidem, *Parisiis* 1616. 8. p. 84.

Disser-

* Hisce de Animaduersionibus DARTISIUS praemissa Praefaciuncula: *Non hic toto ingenio vehimur nam suspensa est manu quod scribimus in Baronium & tanquam ad clepsydram scriberemus: praecipitauimus has nostras Animaduersiones, vt possimus dicere quod in Circensibus fit nos tantum pannos ostendisse, vbi signaremus cera miniatula quae minus nobis probarentur.* paucisque interiectis: *nos amplectimur & veneramur Baronium, nec in his quae ad fidem pertinent vel latum quidem vnguem ab eo differimus: quin etiam asseueramus eius Annales sufficere ad omnem Ecclesiasticam disciplinam perdiscendam.* subiungitque: Ceterum si δεῖγμα *istud placuerit Animaduersionum, plenas dabimus illas in Baronium hac animi destinatione & propositi ordine, quo censura nostra non exibit extra sacras lineas Fidei & Ecclesiae Romanae si displicuerit de horreo plura non expromemus.*

Li-

* In quo omnia extemporanea esse scribit ipse DARTISIVS *Epistola Dedicatoria p. 117. Part. III. Oper.*

Libellus ſupplex *pro Regiis Profeſſoribus* ad Ill. V. D. *Nicolaum* de *Bailleul* maiorum Gentium Praeſidem, Reginae Cancellarium, ac ſacrarum largitionum Comitem & ſuperpraefectum. p. 135.

Libellus *de Vrbicariis & Suburbicariis Regionibus & Eccleſiis*, in quibus ex Notitia Ciuili & Eccleſiaſtia totius Orbis, quae fuerint illae regiones Eccleſiae oſtenditur & quaeſtio nouantiqua de Canone Nicaeno & Paraphraſi Ruffini diſcutitur, *Pariſiis 1620. 8.* p. 139.

Separatim excuſi ſunt inque Collectione Operum omiſſi, vide ſupra p. 225.

Ludouicus Decennis ſiue *Panegyricus* in Ludouicum XIII. Galliarum Regem, *Pariſiis 1611. 8.*

Diſcours ſur le Secours demande au Roy par l'Empereur, *Pariſiis 1620. 8.*

Liber ſingularis *de Conſanguinitate & Affinitate, Pariſiis 1623. 8.* apud *D. Langlois.*

Libri

Libri Tres *de Ordinibus & Dignitatibus Ecclesiasticis*, in quibus breuiter respondetur ad Apparatum & Tractatum Claudii Salmasii * de Primatu Papae, Eiusque prima,

* His de Libris DARTISIVS Epistola Dedicatoria scribit: *Se traditam ab Apostolis & ab Ecclesia veritatem contra Salmasium defendere.* Paucisque interiectis: *Non erit vero superba, iracunda vel acerba nostra defensio & vitabimus illa quae accidunt parum cautis, vt de homine dicere, quam de causa malint, Cicero proferre solebat se Aristarchum non Phalarim probare in scriptis. Ego ausus sum, quia nemo prodibat, & cum fortassis impunitatem sibi aduersarius promitteret, ego ingenium obieci & post quatuor menses opusculum peregi distulique in hunc diem & infirmus ex graui & diuturno morbo, & ex aliis causis denique vt is facilius veritatem agnosceret, nunc quando calor ille quo scribebat, refrixit, & ne amplius crederet, causam veritatis non posse defendi, vt iam credidit. Et potuissem quidem illi ad contemptum Sanctorum Patrum Centaurice irruenti aliquid inclementius respondere, non faciam tamen, nec vrgebo maledictis, quia calumniae negotium non gero & vltionem non quaero, sed defensionem.* Quod inde Praefatione latius exequitur memoratque se cumprimis Ar-

ma, media & vltima, ad tres Quaestiones referuntur & refelluntur. Prima est *de Presbyteris & Episcopis eorumque differentia*; Secunda est *de Autocephalia Episcoporum, Metropolitanorum & Exarchorum*; Tertia est *de Patriarchis & Dioecesibus*, ad Ill. Virum Dominum *Petrum Seguierium* Franciae Cancellarium, *Lutetiae Parisiorum* apud *Ioannem Billaine M. DC. XLVIII. 4.*

---

chiEpiscopi Tolosani *Caroli de Monchal* auctoritate ad edendos hosce Libros excitatum fuisse, qui in publico Cleri Gallicani conuentu auctor fuerit vt ipsius nomine ederentur; quo tamen honore vti noluerit.

VITA

VITA IOANNIS FICHARDI

Patritii & Syndici Francofurtensis collectore

HENRICO PETREIO* HARDESIANO.

PRaeclare semper a bene moratis gentibus fuit institutum, vt virorum de communi hominum societate bene meritorum memoria tum monumentorum operibus, tum literis a posteritate celebraretur. Itaque non tantum magnificis sepulcrorum extructionibus nomen illorum illustrabant, sed anniuersarios quoque dies commemorandis eorundem meritis consecrabant: & quasdam ipsis ludorum ferias tribuentes

Q pro-

* Qui ipsi perfamiliaris fuit, eidemque elegantem *de Aulica Vita & huic opposita Vita priuata* diuersorum Auctorum Collectionem *Francofurti* ad *Moenum 1578. 8.* iterum excusam, prima editione Anno M. D. LXXV. die XVIII. Mensis Octobris inscripsit; quia Epistola Dedicatoria FICHARDI: *excellentem doctrinam, sapientiam, moderationem, candorem, humanitatem* laudat.

producebant ſaepe tum egregios in palae-ſtram Athletas & Muſicos, tum praeclaros in conciones, qui rerum geſtarum virtutum-que praeſtantiam laudibus efferrent Oratores. Vnde admirando ſaepe hominum concurſu theatra quaſi inundare, ſtipari proſcenia, certatim ſedes occupari. Athenis quidem recitata quotannis eſt concio, quam Plato in Epitaphio expoſuit. Plataeenſes vero Plutarchus in Ariſtide ſcribit ceremoniis anniuerſariis celebraſſe eos, qui Duce Pauſania contra Mardonium ſtrenue pugnantes mortem obierant. Quos mores omnium prope & temporum & populorum conſenſu comprobatos, pro iure & quaſi lege obſeruatos fuiſſe a populo DEI etiam, & multis ſcripturae ſacrae locis oſtendi poteſt & exemplis. Sane *in memoria aeterna fore iuſtum,* ait *Pſalmus* CXII. & Ioſiae Regis praematuram mortem carmine lugubri deflet *Ieremias.* Imo noſtrae nobis adhuc Ephemerides, noſtri ritus, eandem quaſi legem aſſidue nobis in Eccleſiis noſtris ante oculos proponunt afferenturque eius rationes nequaquam contemnendae. Neque enim defunctorum modo conſeruandae memoriae tribuuntur officia illa, ſed viuis etiam proſunt & poſteritati, quae non tam honeſti praeceptionibus ac regulis, quam exemplis ſolet ad laudabiles vitae actiones excitari. Quid vero homines, prae-

praecipue literatos deceat magis, quam perpetuam nosse & adspicere seriem eorum, quos DEVS Optimus ter Maximus tum animi, tum corporis & fortunae boni magnificentius ornauit, *quique* (vt Virgilius Maro loquitur) *sui memores alios fecere merendo.* Etenim non solum excitamur aliorum laudatione ad imitandi studium, sed & benignissimam DEI prouidentiam gratis inde animis agnoscimus & illustribus diuinae bonitatis exemplis confirmati eundem DEVM nostrum confidentius inuocamus, atque concessa nobis dona ipsi quoque discimus conferre ad nominis Christiani gloriam & Rei publicae commoditatem. Quam ob rem merito laudantur & approbantur illa, quae passim extant orationum siue declamationum volumina, in quibus tum rerum tum virorum praestantium virtutes iustis ornantur praeconiis.

Cum igitur amici auctores mihi essent, vt quae de IOANNE FICHARDO Viro & Iureconsulto Clarissimo nota mihi essent commemorando perscriberem: equidem licet & onerosis forte iam implicatus essem negotiis aliis, & eum non esse me agnoscerem, qui summi Viri laudes & merita assequi praedicatione mea possem: tamen cum heredes quoque illius & propinqui me peramanter interpellarent, vt haec manibus illius quasi iusta facerem, etiam atque etiam

orarent, officii esse mei putaui debito potius obsequio his inseruire, quam committere, vt in aliqua negligentiae turpitudine deprehensus, parum gratus ac memor viderer eorum, quibus a *Fichardis* olim affectus fuissem officiorum immortalium. Et sum spe bona fore, vt, licet, quae tenuitas iam mea profert, meritis *Fichardianis* indigna sint, boni tamen consulantur ab iis, qui, vt quimus, aiunt, quando vt volumus, non licet. Vtque amplitudine argumenti huius superatus infantiam meam & audaciam prodidero, multaque dicendo plura dicenda reliquero, ita in assentationis suspicionem minus incidero. Imo quamuis re suscepta commemoratio haec maior videretur, metuerem nihil tamen Euripideum illud: *Laudes immodicas iis, qui laudantur graues esse & onerosas* (quod ille apud Terentium, cui a pudore nomen est adolesçens vereri se ait) *coram in os hic neminem sed mortuos laudem, quibus assentari velle stultitia fuerit.* Et veniunt in mentem hic mihi, quae de Pescennio Nigro Augusto memorantur, qui recitaturo sibi creato Imperatori Panegyricum, *laudes* inquit, *scribe Marii, Hannibalis, vel Ducis cuiuspiam alterius optime functi, quem imitemur: nam viuos laudare irrisio est.* Sed ne verbosius huiusmodi de me quasi praenarrem, quae in manibus est rem aggressus, expositionis huius ordinem ita deducam, vt, commu-

munem naturae consuetudinem secutus, exprimam causas, & veluti fontes aperiam, de quibus manarit illa virtutum *Fichardianarum* rerumque optimarum affluentia. Vbi primum occurrit: *procreatio*: secundo: *educatio*: & denique *recte factorum laus & splendor, vitaque maioribus & educationi conueniens.*

IOANNES FICHARDVS natus est in ea *ad Moenum* vrbe, quae a *Francorum vado* sortita nomen *Francofordia* appellatur. Vrbs ea satis, tum ambitu est ampla, tum operibus munita. Ad hanc & vltra citraque cum Francorum gens * rebus praeclare gestis maxime inclaruerit, istam praecipue regionem tenuisse recte putatur. Etenim cum Valer. Aureliano, qui imperauit anno Christi 272. prope Moguntiam, cum Claudio vero Iuliano Apostata, qui imperio praefuit a. 362. ad Iuliacum conflixisse illam & cum Flauio Val. Constantino belligerando occupasse Batauiam Galliaeque litora iam tum longe lateque vexasse, memoriae proditum est. Coniunxerunt vero se cum Franchis illae, ex quibus orti prodierant a propugnatae libertatis euentu deinceps appellati Franchi, gentes cognatae *Cayci* vt Poetae efferunt, seu vt Historici *Cauci*, tum maio-

* Vellem omisisset PETREIVS hanc excursionem, quae plane huius non est loci, nec in omnibus accurata.

maiores; qui incolebant terras inter Albim & Visurgim, quas hodie Duces Brunsuicenses & Lunaeburgenses, & quidam ArchiEpiscopi & Episcopi Comitesque Hercinii tenent, tum minores, qui inter Visurgim & Rhenum habitabant, ac hodie parent diuersis tum ArchiEpiscopis, tum Episcopis, tum Principibus & Comitibus, & mutatis temporibus non sedes quidem, sed cognomina mutarunt. *Franchi* autem etiam *Salingi* sunt appellati ab amne, quem etiamnum accolunt *Sala*, qui supra illud, de quo sermo nobis est, vadum, milliaribus non multis Moeno miscentur. Gentem autem hanc pro communi Germaniarum salute libertateque cumprimis acriter propugnasse, & seruitutem, quae obedientia dicitur fracti animi & arbitrio carentis suo, fortiter repulisse, nec dominationi cuiusquam paruisse demonstrat nomen, in quo significatio libertatis inest; quod & Iuris nostri interpretibus ignotum non est, qui, exempli gratia, Feudum francum appellant ab omni seruitio liberum. Sane Graeci olim vocem Germanicam exprimentes βρέγχους vocabant, vt apud Strabonem videre est, qui eos inter Vindelicos & Noricos ponit: neque enim potentissima gens angustioribus se limitibus continuisse putanda est. Excellentem autem nationis huius virtutem aestimare inde licet, *Libanius Sophista* in Oratione super Funere

nere praenominati Iuliani Francos appellat inuictos & quasi arces inexpugnabiles. Ac licet Imperatores Romani cum Alemanici, tum Francici & Germanici audire voluerint, ista tamen titulorum arrogantia saepe, vt Taciti verbis vtar, in ludibrium versa est. Et vt cetera mittam, Imperatoris Iustiniani temporibus, Duce Theodeberto, die vno fuderunt ad confligendum paratos exercitus, tum Gothorum, tum Iustiniani, duos. Vtque postea temere per Italiam infesto exercitu, Bucillino quodam Duce, vagantes, a Narsete Iustineanearum copiarum Imperatore sint, quae belli fortuna est, superati, tota tamen inde gens deuicta dici non potuit: & potius id agebant Imperatores Romani, vt socios haberent Francos non hostes: iuxta Graecorum illud: τὸν Φράγκον φίλον ἔχε. Quin & Imperatorem non ex Romanis, non ex Graecis, aliisue nationibus, sed ex Franchis denique legit Italia Carolum, qui & *Francofordiam nostram* nimirum commodissimo loco sitam, plerumque habitabat, & extructionibus fortunisque magnifice locupletabat. Quae vero Franco huic Carolo per totam Europam rerum perturbatissimarum fuerit moles sustinenda superandaque, vel quam potius sustinuerit & superarit, si commemorandum hic susciperem, sane tum intempestiuam Lectori praestarem beneuolentiam, tum audaci-

am audaciae, onusque oneri longe maius adderem. Itaque ad *Fichardi* nostri Patriam *Francofordiam*, inde vsque a Caroli temporibus, nomine specialis domus Imperii nuncupatam, & solam eligendis Imperatoribus Romanis adhuc destinatam, redeo. Oppidum igitur hoc, quod non condidisse quidem Francum Marcomiri Regis filium, sed instaurasse, & pro Helenopoli *Francofordiam* dixisse quidam putant, cumprimis auxit Carolus ille Magnus rebusque omnibus ornauit atque instruxit. Et vt Maiestatem DEI Optimi ter Maximi pie cognouit & honorauit, suumque vniuerso orbi optabile & salutare Imperium praeclare auspicatus errores gentiles longe lateque profligauit, oppressamque vulgo iustitiam reduxit, ita suam quoque Francofordiam constituit, vt religiosae pietatis & aequitatis politicae foret tam domicilium, quam Imperii praesidium & propugnaculum. Vnde & memoria eius a posteritate ibi cumprimis celebrata est, vt in eorum numerum, quibus dies anniuersarios consecrarunt Francofordenses, praecipue Carolum Magnum cooptarint, ita, vt ab antiquo ei feriarum honorem tribuant die XXVIII. Mensis Ianuarii. Sane & antequam Carolus ad Imperatoriam dignitatem eueheretur, praecipuae erat existimationis illud Francorum vadum, & vt refert *Petrus Gregorius Tholosanus* I. C. in *Syntagm. Iur. vniu.*

Part.

Part. I. Lib. I. c. 7. ex Tom. II. Concil. Anno 1551. Colon. edit. ſub Zacharia Pontifice Anno C. 742. Synodus ibi habita eſt, & damnati ſunt, qui vetitis artibus & ſuſurris magicis elementa turbare niterentur & ignes facerent ſacrilegos, quod Nedfri vocabant. Porro cum non vni olim Seruio Sulpitio, cuius nota eſt ad Ciceronem Epiſtola Conſolatoria, ſed nobis quoque multa, quae quodam tempore florentiſſima fuerunt oppida proſtrata & diruta, ante oculos iaceant, de Ciuitate Francofordienſe adeo diminutio nulla facta eſt, vt in dies adhuc DEI benignitate creuerit & veriſſimis excellentium virtutum atque fortunarum laudibus ciuitates alias ſuperet. Etenim cum ſit eo loco ſita, vt vndique commeantibus & commercia cum externis habentibus, nullus reperiri poſſit commodior, Emporium ibi iam olim inſtitutum magna adhuc celebritate bis quotannis frequentatur. Moenus autem praeter agri vbertatem atque ſingularem Magiſtratus prouidentiam, ingentem non tantum mercium, ſed & ceterarum rerum neceſſariarum omnium copiam vndique ad vrbem aſportat. Et terra commeatus aduehitur tantus, vt quoddam panegyri iſti quaſi cornu copiae diuinitus conciliatum videatur. Vnde, vt multitudinem ibi hominum & equorum nundinae maiorem in modum augeant, nulla tamen animaduerti-

tur annonae penuria,nulla caritas. Cumque fiat ſaepe aliis in oppidis, vt aduenien- te Principe aliquo, ſuo cum comitatu vix trium dierum citra ciuium querimoniam hoſpitium reperiat & victum: ille Francofordiae, qui iuſtum etiam exercitum numero ſuperet bis quotannis conuentus, tam commode habetur, vt peregrini quaſi domi ſuae viuentes, tantum non habitare ibi videantur, nimirum vbi ciuitas non hoſpita modo, ſed hoſpitalis eſt. De Magiſtratu vero quid dicam? Si cum ciue tibi lis ſit, ac adeundus Iudex, nihil metueris, ne minor tui, quam illius habeatur ratio, vel procraſtinationibus deluſus re infecta domum reuertaris. Ita nimirum & Plato maiorem peregrinorum quam incolarum haberi voluit rationem, quod propinquorum illi praeſidio deſtituti ad iuſtitiae aſylum confugiant, a quo eos qui abſtrahat quaſi ab ara auellat ſupplices. Et Nicocli Regi conſulebat Iſocrates, daret operam, vt peregrini tuto in vrbe eius verſari atque negotiari poſſent. Eo vero maiorem illa Francofordienſium hoſpitalitas laudem meretur, quo vulgo rarior eſt. Sunt enim noſtro quoque ſeculo, qui illam, cuius pro Archia Cicero meminit, quamque in Officiis deteſtatur Legem Papiam, atque Lacedaemoniorum miſoxeniam imitati, peregrinos vrbibus vti prohibent. At Francofordienſes Athenienſium phi-

philoxeniam imo veterem consuetudinem institutumque tenent Maiorum suorum. Conuictibus inquit de his Cornelius Tacitus & hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemque mortalium arcere tecto nefas habetur. Notum ignotumque quantum ad ius hospitis, nemo discernit. Haec ille. Germanam igitur illam maiorum nostrorum humanitatem, illam proauitam hospitalitatem nobis sartam tectam praestat Francofurtum. Itaque extra etiam nundinas nemo hospitem exterminat, nemo ciuem peregrinumq; ad ius hospitii quod attinet, discernit, nemo quemcunque mortalium vrbe arcet: Itali, Galli, Hispani, Angli, Belgae, Francusque nullo (vt cum Didone Maroniana loquar) discrimine aguntur. Porro vigilantia Magistratus illa quoque in parte admirabilis est, quod in ista diuersorum populorum, linguarum, studiorum, morumque discrepantia rarae per vrbis vias angiportusue rixae audiuntur, rari tumultus, caedes nullae: cum in aliarum vrbium nundinis omnia plerumque strepant conuitiis & pugnis. De variis autem nobilissimi huius Emporii mercibus, cum eas Cl. V. *Henricus Stephanus* peculiari encomio antehac ornarit nihil hic dicam, saltim *Iulii Caesaris Scaligeri* Viri longe praestantissimi quoddam breue quidem, sed perquam elegans Epigramma visum fuit adscri-

ſcribere, eſtque id:

Multa laboratis debet Francfordia ſulcis,
Multa racemiferis vinea culta iugis.
Quid referam, quanta & quae conuexere metalla,
Quae Mars bellipotens, quae petit alma Ceres?
Huc Italus patriis miratur partibus orbem,
Aduectum; huc ſtupida eſt Gallia magna ſuum.
Hic Oriens, hic terra nouis comperta ſub aſtris
Agnoſcit genii ſemina plena ſui.
Nec tamen in brutis ſola haec commercia rebus
Hic animi aeternae ſed cumulantur opes.
Quod ſi res paucas operoſa eſt dicere merces:
Non magis eſt cunctas res operoſa dare.

In hoc igitur oppido pridie *Ioannis Baptiſtae* *XXIII.* die Menſis Iunii circiter horam XI. meridianam anno Chriſti M. D. XII. * in lucem editus eſt prima ſuorum parentum ſoboles IOANNES FICHARDVS **, natus Patre

* MELCHIOR ADAMI Breui de vita FICHARDI Narratione, quae *Vitarum* ipſius *Editione Tertia Francofurtenſi* 1705. inter ICtos extat p. 113. natum eundem perperam ſcribit a. M.D.XI.

** Imaginem FICHARDI more iſtius aeui ligno, non ineleganter tamen inciſam, NICOLAVS REVSNERIVS magni nominis ICtus & Philologus *Iconibus Virorum literis illuſtrium Argen-*

Patre cognomine *Ioanne Fichardo*, & *Marga-*
rita

torati 1597. 8. editis p. 385. 386. inseruit, addito Vitae Fichardianae Compendio, quod pace Tua *Lector Erudite*, huic ampliori de vita rebusque ipsius Narrationi, veluti Summam praemittam:

IOANNES FICHARDVS PATR.
Francofurtanus natus anno
M. D. XII.
Optimus & Vir & Iureconsultus:
multa doctrina, plurimo rerum vsu:
sub Huldr. Zasio IC. doctore multis annis Friburgi Brisg. in Iurisprudentiae studio versatus: & vna cum Ioanne Sichardo summum Docturae honorem consecutus:
Spirae Nemetum in supremo Imperii Germanici tribunali aliquandiu feliciter exercitatus:
Patauii demum, ac Bononiae ceterisque Italiae Academiis confirmatus plurimum:
Rei publicae Syndicus in patria per annos XLIII. clariss.
Multorum praeterea Principum ac procerum Imperii Consiliarius sapientiss.
Plurimis non modo veterum Ireconsf. Commentariis, sed & ingenii monumentis sui pulcerrimis & Collectaneis vtiliss. in publicum editis nobilitatus:
Decus & ornamentum eorum quibus cum

rita Crotzenbergia Petri Crotzenbergii honesti illic & laudati ciuis filia, matre. Pater autem ille *Fichardi* tum rerum vsu, tum doctrina Iurisque peritia praestans, scriba Senato-

---

vixit & patriae imo Germaniae
totius & seculi sui
functus vita decessit Francofurti ad Moenum
anno M. D. LXXXI. annum
agens LXX.

inde p. 387. 388. *Ioannis Lauterbachii*, *Francisci Modii* & *Nicolai Reusneri* sequuntur Elogia FICHARDI Carminica. Secutus *Reusnerum* paucis additis IANVS IACOBVS BOISSARDVS *Iconum Virorum illustrium Part. III. Edit. Francof. 1598. Num. XIX. p. 133.* Grauissimus Historicus IACOBVS AVGVSTVS THVANVS *Historiarum Lib. LXXIV. sub fin. p. 534. F. Edit. Geneu.* sequentibus nostri memoriam commendauit: IOANNES FICHARDVS, *qui* HVLDRICO ZAZIO *maxime illustri inter Germanos ICto Friburgi Brisgoiae operam dedit, idem Patauii & Bononiae eandem scientiam professus, Francofurtum quae illi patria erat, reuersus, in eaque vrbe Syndici munere XLIV. annos magna fidei & industriae laude functus ibidem septuagenarius decessit, & a Bernardino Rutilio Vitas veterum Iuris sapientum descriptas ad ipsum Zazium vsque persecutus est: hoc certe facto meritus, vt qui tot clarorum virorum memoriam in occulto latere passus non est, silentio minime praetereatur.*

natorius erat exiſtimationis praecipuae ac multis grauibus negotiis fides eius induſtriaque fuit perfecta. Praeter ſorores autem tres, *Ioannes Fichardus* fratres habuit V. *Conradum*, *Nicolaum*, *Stephanum*, *Caſparem* & *Balthazarem*: quorum vnus *Caſpar* ad ſummos honorum gradus euectus mortem obiit Spirae compluribus optimae ſpei relictis liberis, ceteri aetate immatura deceſſerunt.

Elucebat autem ſtatim in *Ioanne Fichardo*, qui natu maior eſſet bonitas indolis, inque communem Ciuitatis ludum puer miſſus, celeriter quae traderentur percipiebat, fideliterque meminerat. Ceterum reuocata iam tum erant ſtudia artium optimarum & linguarum puriora, diſcendique ardore diſcipulorum animi flagrabant. Et Senatus Francofordienſis animo perpendens, quantum in puerili inſtitutione ſitum eſſet, accerſierat paulo ante Viros doctos & literarum peritos, qui ludum ibi aperirent nouum. Ac primus tum fuit, qui Ciuitati illi in iuuentute accuratius erudienda & ſcriptis veterum Auctorum exquiſitius enarrandis operam daret *Wilhelmus Neſenus* qui ſingularis eruditionis doctrinaeque laudibus ſuum illud tum Gymnaſium, tum nomen illuſtrabat. Extat inter *Eraſmi Roterodami*, quae cum *Thomae Mori* edita olim ſunt epigrammata,

quod-

quoddam ad hunc *Nesenum*, ex quo facile apparet, quanti eum ille fecerit. Et *Philippum Melanchthonem* ac *Ioannem Camerarium* aliosque Viros summos eiusdem huius familiaritate iucundissime vti solitos eundemque propter ingenii bonitatem inque iudicando prudentiam, & multarum rerum cognitionem atque experientiam magni fecisse & denique ex tristissimo obitu ipsius acerbissimum animi dolorem concepisse ipse *Camerarius in Vita Melanchthonis* ostendit. Hic igitur *Wilhelmus Nesenus* Francofordiae illum, qui studio deinceps & opera *Ioannis Fichardi* in Monasterium Franciscanum translatus est ludum primus aperuit, & cum Francoforto discedens conferret se *Wittebergam*, vbi tandem animi gratia traiiciens Albim, ac lintrem forte sub aquis latenti trunco impingens interiit, successorem habuit instituti Gymnasii *Ludouicum Carinum* virum ex eruditae doctrinae fama clarum, quo nomine & ipse Melanchthoni Camerarioque cumprimis carus fuit. Et ita quidem studia tunc literarum excitabantur Francofordiae, & vberiore in dies quasi mercis Musicae copia ludus ille crescebat: sed IOANNES FICHARDVS per aetatem illis artium optimarum & virtutis Magistris vti nondum potuit, in inferiori illa patriae schola adhuc institutus. Quo autem & ad quod vitae genus se postea

ſtea contulerit *Carinus* compertum mihi non eſt: ſed poſtquam aliquot ibi annis linguarum & artium liberalium interpretationem eſſet profeſſus Scholae adminiſtrationem tradidit *Iacobo Micyllo*, quem *Camerarius* in *Vita*, quam dixi, *Melanchthonis* Antiſtitem vocat rectorum & liberalium ſtudiorum, atque in Epiſtola quadam ſua ad *Petrum Lotichium* morte eiuſdem ita ait ſe perturbatum, vt cariſſimae, quae anno eodem obierat, filiae obitum vix grauius tulerit. Quae vero *Philippi* in *Micyllo* fuerit exiſtimatio, vel vna illa oſtendit praefixa Grammaticis ad *Chriſtianum Egenolphum* Epiſtola. *Lotichius* quidem, qui ſub *Micyllo* & eiuſdem Collega *D. Adamo Lonicero* V. C. Francofordiae in literarum ſtudiis educatus eſſet merita illius & beneficentiam animi grati memoria & immortalibus carminum elegantiſſimorum monumentis celebrauit. Porro iactis iam literarum fundamentis hunc nactus eſt Magiſtrum *Ioannes Fichardus* ſingulari diſcendi cupiditate incenſus. Neque ſolum monitis huius libenter parebat, nulliſque eius caſtigationibus refragabatur, ſed ſibi etiam ipſe quaſi calcar admouebat, & continua ſtudiorum cura ſolicitabatur, efferre ſe ad liberalium artium praeſtantiam ingeniique vires experiri geſtiens. Itaque ſummopere ipſum diligebat *Micyllus* & publice priuatim-

que ſtudia eius informando ad exercendum ſtilum atque ad Graece Latineque ſcribendi rationem deducebat. Et memini Praeceptoris huius *Fichardum* perquam honorificam ſaepe facere mentionem, & ſermonis vtriuſque cognitionem verſuſque ſcribendi facultatem huic referre acceptam. Animaduertit quodam tempore *Micyllus*, angi FICHARDVM adoleſcentem & mente contrahi, quod cum ſolutam orationem ſcribendo Praeceptoribus ſatisfaceret, in componendis carminibus non eoſdem experiretur ſucceſſus. Iuſſus igitur ille a *Micyllo* Poetas legendo reddere ſibi familiares, tum verſus deinceps ſcribere elegantiores, tum Poetarum vbertate & copia ſuam eloquentiam colorare, graueſque ſaepe diſputationes eorundem dictis & gnomis roborare didicit. Vtriuſque autem Linguae comparata facultate & praeter doctrinam Grammaticam Dialecticis quoque & Rhetoricis praeceptis ſub *Micyllo*, qui iam tum vidit praedixitque multis, quis futurus eſſet *Fichardus*, ad vberiorem quaſi doctrinarum mercatum profectus eſt in celebrem, ac in omni diſciplinarum genere Eruditiſſimorum Virorum copia florentem vicinae *Heidelbergae* Academiam deque voluntate Patris non humanioribus tantum literis, ſed artis boni & aequi, cuius vſum pene a puero, vt ipſe quadam in operis Sichardiani

diani Praefatione ſcribit domi ſuae cognouiſſet, operam dedit, & ibidem quoque praeclaram de ſe Praeceptorum opinionem commouit. Porro cum amplum illud generoſi animi pectus omnia conari & perpeti paratum foret, ob acquirendam maiorem in dies eruditionem & cupiditate arderet plures illius temporis Viros celebres intuendi audiendique, *Baſileam* quo & commigrarat deinceps praecipuus Heidelbergae liberalium diſciplinarum Profeſſor *Simon Grynaeus* Praeceptor eius cariſſimus, ſe contulit. Vtque coniunxerat ad Nicrum Iuriſprudentiae ſtudium Philoſophiae ita *Baſileae* quoque curſum eundem tenuit, & nullarum rerum cognitionem non attingendam putans, non Iuriſconſultos ibi modo ſed vndique ſapientiae quandam quaſi poſſeſſionem occupando, *Theologos* etiam audiuit & *Medicos*: inque ſermonem Latinum quoſdam conuertit Libros *Galeni*, qui vna cum ceteris Interpretum translationibus extant.

Incidit autem in haec tempora fatalis illa rerum Eccleſiaſticarum conuerſio, & *Baſileae* quoque mutari incipiebat religio. Quae res cum turbulenter primum geri videretur, quidam Academiae *Baſilienſis* Profeſſores iſta offenſi plebis audacia inſolentiaque parabant abitum & *Friburgum Briſgoicum* ſecedebant: erantque horum prae-

cipui *D. Erasmus Roterodamus*, qui superstitiosam se religionem malle diceret, quam nullam, & *Henricus Glareanus* Poeta, & *Ioannes Sichardus*. Eodem quoque studiosi vt fit commigrabant, iisque *Fichardus* etiam, qui praecipue Iuri ciuili operam nauaret se adiunxerat. Etenim Academia illa cum sacrarum Literarum reique Medicae, & studiorum humaniorum Professores habebat excellentes, tum Iurisconsulti ibi docebant, quorum etiam nunc opera in ore sunt & manibus omnium, qui in boni & aequi disciplinam studiumque incumbunt. Hospitio autem & amicitia conuictuque FICHARDVS coniungebatur *Friburgi* cum optimis quibusque & liberalium disciplinarum amantissimis. Ex his praecipue eum praedicare memini, genere, virtute, eruditione dignitateque Nobilem *Georgium Ilsungum*, Augustanum, Sueuiae deinceps Praesidem; *Conradum Hombrachtum* ICtum Patricium Francofordiensem, Senatoremque Primarium; *Melchiorem Schwarzenbergium*, IC. Imperialis Iudicii Spirae Aduocatum causarumque Patronum, & eum quem supra dixi *Ioannem Sichardum*. Curas igitur cogitationesque omnes in Iuris vtriusque studium conferens, mane, stipatus illis commilitonibus suis, primum audiebat *Georgium Amelium*, Morauum V. I. D. *Pontificiarum Constitutionum* ordinarium, & post illum

illum modis omnibus Virum incomparabilem, vt *Erasmus* vocat, *Vldricum Zasium* interpretantem *Pandectas* * A meridie ad praelectiones conueniebant *Sebastiani Derreri*, qui *Codicem Iustinianeum* explicabat, cuius de Iuris prudentia Libri Tres extant, satis luculenti. Inter ceteros vero commilitones FICHARDVS laudare solebat *Ioannem Sichardum*, qui vt serius in Iuris studium, ita felicius incubuerit, & biennio multo ampliorem, quam alii toto decennio cognitionem artis eius consecutus fuerit: nimirum quod IurisConsultorum Scholas ingressus afferret tum ingeninm Philosophiae doctrinis diu feliciterque excultum atque expolitum, tum iudicium limatum ac sincerum. Hic igitur quod aetate esset prouectior, petere instituit

R 3 sum-

* MELCHIOR ADAMI breui de vita Fichardi Expositione p. 114. *Ibi inter alios eruditione insignes Viros* ZASIVM *Germanorum ICtorum facile Principem, ei audire contigit, iam prope septuagenarium, quo tempore quanquam ob senium, multa fuere in eo remissiora, etiam vox ipsa, quod tum edentulus esset, blaesior; ita tamen adhuc dicendo scribit* (Fichardus) *eum viguisse, ita, quae dicebat, vixisse omnia, vt iuratus confirmet, neminem se ex Germaniae & Italiae Doctoribus audiuisse, qui Zasium viuida illa docendi ratione superarit.*

summos, qui meritis decerni solent, scholasticarum dignitatum titulos, atque FICHARDVM, vt sibi se adiungeret, interpellabat. Annos vero natus tunc erat FICHARDVS XVIII. & Menses VI. ideoque vtrum *Sichardo* obsequeretur non temere animi pendebat. Licet enim diutius quam ille in Iuris vtriusque studiis sub diuersis Praeceptoribus esset versatus & ad vsum artis huius prope a puero domi esset informatus, adolescentem tamen se esse meminerat, cui, vt cetera non desint, autoritas certe sit nulla. Neque Aristotelem ignorabat rerum imperitum Adolescentem Iuris prudentiae ne auditorem quidem nedum Doctorem putare idoneum. Et *Aduocatum Iuuenem* ab *Angelo* vocari *confusorem litium*: atque apud Ciceronem maximas saepe Res publicas per adolescentes labefactatas affirmare Catonem Maiorem. Nec non in mentem veniebat illud, quod scriptis longo post tempore mihi versibus epithalamiis inseruit, ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων nimirum adolescentum partes esse, laborare, non dare consilia, quae & in Iuuenibus esse leuissima ait ille secundum Iustinianum Imp. omnis virtutis pater Homerus. Neque temere fieri posse verebatur, vt respondentem de Iure homines auersarentur eum, qui forte laesus ex interdicto restitutionem vt minor, obtineret. Nouerat ab *Alciato in Paradoxorum Libri VI. Prooemio* adductum Phi-

Phidippi illud iuuenes ſtultitia opinionumque vanitate affici, & quod *D. Hieronymus* ait, debiliter vitulos fortius boues laſſos pedem figere: Daretiſque iuuenili feruori praeferri ſenioris Entelli grauitatem. Denique ad ſequens vitae ſuae curriculum ſibi glorioſum, atque ad omnem ſtudiorum ſuorum rationem vtile fore exiſtimabat, ſi ante, quam honores illos peteret, profectus in *Italiam*, cuius perluſtrandae cupiditate iam dudum flagraſſet, Iuris ibi audiret Profeſſores multorum ſermone coram ſe magnopere celebratos. Haec quidem & huiuſmodi cum animo cogitaret nonnihil in iſta *Sichardi* interpellatione primum tergiverſatus eſt. Sed cum inſtaret tamen ille cunctantemque vrgeret & praeter rationes alias illam quoque afferret: matris, quam pater anno ſuperiore decedens viduam reliquerat, eſſe habendam rationem, quae in inſtitutionem alterius iam filii *Caſparis Fichardi*, ad inſignem artium liberalium cupiditatem excitati adoleſcentis, ſumptus non exiguos faceret. Par eſſe vt ipſe ſuis ſtudiis colophonem adderet & minueret matri chariſſimae impenſas. His igitur rationibus inductus, & quod meminiſſet Neruam filium anno aetatis XVII. de iure reſponſitaſſe, & Papinianum, quem Imperator *Iuſtinianus in L. 30. C. de Fideicommiſſ.* acutiſſimi ingenii Virum & merito

ante alios excellentem appellat, mortuum esse iuuenem, anno scilicet XXXVII. vix dum completo: & *Ceruotum* quoque *Accursii* filium, adolescentem creatum Doctorem: & de *Bartoli* & *Baldi* aliorumque nonnullorum aetate prope eadem quosdam affirmare: tandem, vbi & Praeceptorem, quem vt alterum parentem coleret, *Zasium* consuluisset, monitis *Sichardi* cessit. *Zasius* sane vt ab illo gradu *Fichardi* aetatem abesse videret, & verum nosset illud *Ioannis Petri* Practici Papiensis: *Doctoris gradum redigere hominem de libertate in seruitutem: & magno sumtu quaesitum cum anxictate teneri:* tamen praeclaros animi generosi impetus reprimendos & cursui instituto moram inferendam non putauit. Neque enim dubitabat optimus studiorum atque ingeniorum censor, quin eam ornaturus aliquando esset *Fichardus*, qua ipse tunc ornaretur, dignitatem. Doctores igitur Iuris vtriusque *Fichardus* & *Sichardus* creati renunciatique sunt ab illo, quem supra nominaui Iureconsulto eximio *Sebastiano Derrero* Codicis Professore ordinario IV. Calend. Decembr. Anno Christi M. D. XXXI. *Zasius* enim, quem *Matthias Garbitius* * Illyricus, Graecarum

* Quem forte secutus MELCHIOR ADAMI breui de vita FICHARDI narratione p. 114. scribens: *Contulit ibi tum* ZASIVS *in Fichardum*

carum literarum Professor, Vir a Camerario & aliis saepe laudatus, haec insignia praenominatis duobus competitoribus tribuisse ait in oratione quam super funere *Sichardi* habuit *Tubingae* XVI. Kalend. Octobr. Anno M. D. LII, vt solennibus istis actus publici cerimoniis interfuit, ita prae senectute suggestum ascendere nequiit. Quamuis enim ratione adhuc & animo esset acri, tamen cum aetatis annum ageret LXX. corpore erat imbecilliore, & quadriennio post diem suum obiit. Hic parentibus honestis erat natus in celeberrima ciuitate, quae *Vitodura* quibusdam, *Nantuatum* aliis, nonnullis *Harudum* olim vocata, hodie dicitur, *Constantia* sita praeter complura oppida alia ad lacum, per quem Rhenus amoeno tractu quasi spaciando, vt loquitur Praeceptor meus *Camerarius* manans, suo deinde alueo defertur. Cumque eum mores sui & singularis modestia, maioresque aetate virtutes eximie commendarent, eaque propter a Praeceptoribus summopere diligeretur, tantos fecit adhuc adolescens

 in

discipulum suum tantum beneuolentiae, operae ac studii, quantum vix in alium quenquam. Itaque eodem Zasio instigante, summum Docturae honorem petiit, atque vna cum IOANNE SICHARDO *summum eum honorem, promouente* ZASIO *ibidem est consecutus.*

in ſtudiis progreſſus, vt vbi vixdum exceſſiſſet ex ephebis ludo literario praeficeretur *Friburgi* & paucis poſt annis ex Ludimagiſtro factus ibidem Scriba ſenatorius, Statuta Vrbis eius in ordinem redigeret, omnium vere conſiliorum in Senatu auctor & adminiſtrator. Et vero Ius ciuile iam ante aliqua ex parte deguſtauerat, tamen ad ſtudii ejus perfectionem contendens ex Scriba denuo fit Scholaſticus, & aetate prouectior ad auguſtam illam diſciplinam iudicium acrius atque certius, & diſſerendi facultatem praeclariorem afferens, is euaſit Iuriſconſultus, quem omnes quibus curae eſt Iuris prudentia, admirantur adhuc & amant. FICHARDVS ſane hunc ſuum Praeceptorem, quem & iis annumerare ſolebat, qui ſerius ſtudium illud, ſed felicius ingreſſi ſunt, pie ſemper veneratus eſt, vt tum ex aliquot modo editis Iuris Reſponſis aliiſque monumentis, tum ex epiſtola * carminibuſque Latinis & Graecis,

* Vitae quoque ipſius potiora memorabilia, amplo Elogio *Vitis recentiorum ICtorum* ab ſe concinnatis addidit inque fine *Edit. Panziroli Hoffmannianae p. 434.* ampliorem de Vita rebuſque Zaſii narrationem promiſit: *Haec ego ex plurimis de Praeceptore optime merito, paucis propterea ſum proſecutus, quod dudum in animo gero aliquando iuſte quedam*

cis, quae intellectibus Zasianis singularibus praefixa leguntur, videre est, vbi vocat:

Ζάσιον ἀκρόσοφον, βαθύμητιν ἀμύμονα, βȣλαῖς
Νέσορα καὶ μύθοις, Ιȣλίανόν τε νόμοις.

i. e.

Zasium summe sapientem, abdite prudentem, inculpatum
Consiliis Nestorem & verbis, Iulianumque legibus.

Porro Fichardus illis honoribus ornatus, tum primum attendere diligentius & considerare cum animo suo, quae *Doctoris* partes, quam graues & laboriosae! quam eaedem honorificae & splendidae! quam turbulentis denique & atrocium malorum labe foedatis temporibus haec sibi esset imposita persona! Itaque ad pleniorem ingenii cultum in *Italiam* profecturus, & Iuris ibidem vtriusque, nec non studiorum humaniorum Professores auditurus a Praeceptoribus suis consilium petiit, praecipue ab illo cuius ante memini *Simone Grynaeo*. Is *Basileam Heidelberga* commigrarat ibique vt aliorum summorum hominum frequentia, ita huius quoque splendore Academia celebrata est. Obiit-

commentario, vitam eius omnem, & quae plurima ab eo crebris colloquiis nostris benedicta sunt, ex ordine commemorare.

Obiitque Vir de literis earumque Studiosis optime meritus Anno M. D. XLI. relictis posteritati cum eximiis egregiae doctrinae monumentis, tum praeclaris humanitatis virtutis patriae haeredibus filiis. Hic igitur per literas a *Fichardo* consultus respondit XX. Martii Anno M. D. XXXII. cuius responsi summam si breuiter hic ostendam, neminem opinor digna vituperatione esse reprehensurum. Quaesierat autem *Fichardus*, vtrum *Grynaeus* Doctorem aliquem adolescentem aut iuuenem, qui vberioris ingenii cultus gratia Italiam Galliamue adire plane constituisset, rectius facturum putaret, si prius in forum prodiret, atque vsu ibi & exercitatione quasi subactus, exteras tum demum terras perlustraret? an vero si continuum studiorum suorum cursum persequendo recta ad externos disciplinarum Professores audiendos contenderet? Ad hanc quaestionem ille tum ex tempore respondebat; Istorum ad quos *Fichardus* aspiraret honorum, videlicet vt cuipiam vel Principi, vel Rei publicae esset a consilio forum esse quasi tirocinium. *At tiro*, inquit, *eris honestius nunquam, minori totum hoc taedium nausea nunquam deuorabis, quam aetate hac. Etenim vide, quam hanc in arenam, hoc in tirocinium, sit turpe redire ex amoenissima Italia nominis atque eruditionis fama auctum te & ornatum. Contra vero fori fastidio exantlato, rerumque v-*

su

ſu acquiſito, liber in Italiam iueris, liber ad ſtudia redieris, maximum quodque munus, vel patriae vel optimo cuique Principi inſeruiendo, honeſte deinceps obiturus. Eaque propter conſulo, vt primo quoque tempore forum, id eſt, ſummam ſtudiorum tuorum difficultatem ſuperes, eamque rem in tempora tuis honoribus incommoda ne differas. Haec fere *Grynaeus* a *Fichardo* conſultus, tunc reſpondit, quae licet poſtea huic rerum vſu corroborato confirmatoque & rem totam exactius perpendenti, viſa non ſint omnibus numeris abſoluta, tunc tamen ſecutus eſt, & domi, quo nundinis vernis *Friburgo* rediiſſet, rebus ſuis compoſitis Spiram venit, ab ampliſſimo ibi Romani Imperii Tribunali XV. die Menſis Iurii in Aduocatorum, & anno deinceps altero, a nato Chriſto M. D. XXXIII. Maii die XXIII. in Procuratorum etiam numerum aggregatus.

Vt enim ſemper antea vixerat laudabiliter, fueratque in puero pudor, in adoleſcente ſingulari cum ſtudio literarum coniuncta probitas & eximia rerum expetendarum vitandarumque ſcientia: ita in honeſtiſſimorum illa munerum & officiorum occaſione campum ſe nactum eſſe ratus, in quo ſua virtus, parta vigiliis beneque agendi conſuetudine confirmata excurreret, tum de Iure reſpondendo, tum clientes ad aequitatis aſylum confugientes defendendo, qui eſſet,

esset, quique futurus aliquando, patefecit. Quamuis autem haec, ad quam contenderat, quo eius spectarant curae, ingenio ipsius & studiis dignissima videretur esse prouincia, in qua declararet, quae suae esset non modo voluntatis sed eruditionis praestantia: tamen eiusdem anni Mense Septembri, cum iam per sesqui annum se ad praxin exercuisset, a Prudentissimo *Ciuitatis Francofordiensis Senatu* XXIII. Sept. Anni M. D. XXXIII. reuocatus, Spiram reliquit & consilii *Grynaei* memor, studia sua non ad propriam vtilitatem & commodum, sed ad patriae salutem conferenda putauit. Factus igitur patriae *Aduocatus & Syndicus*, ante oculos adspexit viam, qua suus iuisset pater. Extabant vestigia, qua eunti sibi rectissimum esse ad gloriam cursum videbat, & agnoscebant in ipso *Francofordienses* effigiem non minus animi, quam corporis paterni, & vt principia se dabant, fore sperabant, vt nunquam a se discederet. Verum cum illud peregrinationis desiderium nihil dum remitteret, sed in dies potius ingrauesceret, ac forte id explendi acerrimamque videndi *Italiam* cupiditatem satiandi, contingeret occasio, nundinis vernis Anni M. D. XXXVI. valedixit Senatui Amplissimo, cui inseruiisset iam biennium & semestre. Etenim *Caroli V.* Imper. Procancellarius *D. Matthias Heldus*, quem ICtum absolutis-

lutiſſimum appellare ſolebat, & omnium hominum quos ipſe noſſet facundiſſimum, aliquoties ipſum per literas vocarat ad *Aulam Caeſaream.* Itaque cum praefatus Imperator *Carolus* ex victoria Africana rediiſſet in Italiam, menſe Aprili *Fichardus* iter ingreſſus, ſequenti Maio, cum Imperatore *Heldum* in Pedemontanis offendit *Aſtae*, vbi ab hoc amantiſſime fuit exceptus. Ceterum cum Imperator ibi Galliae Regi *Franciſco* bellum faceret acre ac magnum, & hic tandem prouinciam Maſſilienſem illum ingreſſum a commeatu omni intercluſiſſet: *Fichardus* poſtquam trimeſtre *Aulam Caeſaream* ſecutus eſſet, tandem legibus ibi, vt inter arma, ſilentibus aulaque belli ſtrepitu & horrore perturbata, *Italiam* auctore *Heldo*, interim dum pax fieret, perluſtrauit *Neapolim* vſque vniuerſam, & multorum clariſſimorum hominum ſibi cum notitiam, tum amicitias comparauit. Menſe autem Nouembri reuerſus *Patauium* *, ex amicorum literis cognoſcebat, *Imperatorem* belli difficilimi pertae-

* Nec tamen ſolum auditorem egit, ſed teſte ADAMI p. 114. quoque hic & *Bononiae* in Ius Recitationes inſtituit. Quo tempore & *Periochen Vitarum recentiorum ICtorum* concinnauit, *Patauii 1565. 4.* formis expreſſam. Compara elegantiſſimam Praefationem HOFFMANNIANAM *Panzirolo* praemiſſam *f. 5.*

taesum rediisse in *Hispanias* eiusque nomine missum *Heldum* Oratorem vniuersalem ad Imperii Ordines in Germanias. Itaque in *Pataunii* celeberrima illa Academia per hiemem istam & subsequentem aestatem mansit, vsque in mensem Augustum Anni M. D. XXXVII. & quasi diuturnam sitim explere cupiens, auide audiit, quod summopere semper optarat, Iuris Interpretes illos, *Marianum Socinum* Iuniorem, *Ioannem Antonium Rubeum* Alexandrinum & *Marcum Mantuam*. *Humaniorum* autem *studiorum*, vt & *Artis Medicae*, Professores Schola illa semper habuit, quorum eruditionem tota non modo Italia, sed Germania est admirata & Gallia. Inter quos tunc quidem eminebat *Lazarus Bonamicus*, ille, in quem quodam tempore *D. Erasmus Roterodamus*, ab eodem notatus vt parum expolitus, retorsit illud: *Lazare prodi foras*. Hunc igitur etiam *Bonamicum*, FICHARDVS, qui Philosophiae & Eloquentiae studia neutiquam adhuc intermitteret, assidue assectabatur: Tandem vero vbi desiderio suo satisfecisse videretur, sub autumnum in patria rediit, & paulo post *Spiram* profectus, vixit ibidem cum Iustitia quiete & libere vsque ad Pentecosten Anni M. D. XXXVIII. Iamque elucebant non ad Rhenum modo sed in tota Germania virtutes IOANNIS FICHARDI egregiae, nomenque eius praeclaris passim eruditorum impressum monumentis, per omnem

vbi

vbi humanitas colitur Europam fama dissipabat. Et patebat ipsi non modo reditus in *Aulam Imperatoriam*, sed &, cum a vita aulica esse videretur alienior ab *Academia Viennensi* ad docendum ius non contemnendis praemiis inuitabatur. Et honestis propositis stipendiis alliciebant ipsum tum Ciuitates aliae tum *Passauiensis* & *Memmingensis*. Nec non Principes quidam Illustrissimi de Consiliario asciscendo cum eo clementer agebant, praecipue *ArchiEpiscopus Treuirensis* Princeps Elector, & *Episcopus Bambergensis*. Sed cumprimis operam eius expetebat rebus omnibus anteferenda patria. Eodemque etiam ipsum vocabat mater vidua, propinqui, familiares. Quod igitur iam olim ex *Cicerone* puer didicisset; *patriam esse cariorem nobis, quam nosmetipsos, eique nos totos dare, in eaque omnia nostra ponere & quasi consecrare debere*, delatam sibi denuo a *Francofordiensibus*, salario quidem conduplicato *Aduocati* conditionem accepit non inuitus Mense Maio Anno M. D. XXXVIII. Itaque cum omnem vitae suae rationem eo dirigeret, vt aliquam ex suis in patriam meritis famam posteritati relinqueret: & eam quam multis laborum vigiliis esset consecutus doctrinae copiam in ciuitatem suam conferret: & vero tot distractus assidue negotiis, sine vitae torique consorte ibi bene viuere non posset, suadentibus tum matre sua, tum

propinquis & amicis, in matrimonium duxit patritiae apud *Francofordienses* & vetustae gentis virginem *Ioannis Grumbergii* & *Annae Bromiae* filiam *Elisabetham* pudicitiae pietatisque laudibus insignem. Vtque *Plato* ait, in constituenda Re publica primas tenere νόμȣς γαμικȣ̀ς; quos & in primis ad Magistratus curam pertinere, atque vnde natura vitam nostram auspicatur, inde ferendarum etiam legum fieri initium vult *Dionysius Halicarnasseus*: ita & domus constituendae rationem matrimonium, venerabile illud fidei & honestatis templum, vt disertissimus seculi sui ICtus *Iason* appellat, vitaeque condimentum, & consortium diuinum, in primis requiri existimabat. Incidit autem illud sponsaliorum tempus in IV. mensis Augusti diem, qui D. Oswaldo sacer est, eundem scilicet quo ante annos XXVIII. Pater eius *Ioannes Fichardus* Sponsalia contraxisset, cum supra nominati *Petri Crotzenbergii* filia *Margarita*. Vnde scilicet videre est, quod modis omnibus fato connubia fiunt. Caeterum statim a celebratis sponsalibus in febrim quartanam incidit, eaque laborauit ad Paschatos vsque ferias proxime sequentis anni M. D. XXXIX. Nuptias tamen amicis suadentibus celebrauit decem ante septimanis die scilicet XXVIII. Ianuarii, qui, vt supra memini Carolo Magno sacer est, & habuit se postea melius.

Cum-

Cumque in Ciuitatem ſe patriam penitus dicaſſet, XXVII. Maii Ciuis factus eſt Francofordienſis, die deinceps *Iunii* VIII. in *veteris* ibi *Limpurgi ſocietatem patriciam* admiſſus. Etenim oppidi huius Ciues tributi ſunt in Ordines Tres. Primus eſt Patritiorum illa quam dixi *Societas in alten Limpug*: quae aedes Curiam ſiue Praetorium contingunt a dextra. In alterius ordinis quaſi Collegium ſiue ſodalitium cooptantur. ii, qui proximi Patriciis in manuariis ſeſe artibus non exercent, ſed tum negotiationes tractant maiores, tum reditus patrimoniorum habent ampliores: atque his a laeua Praetorii domus eſt, quae vulgo appellatur *Freuenſtein*. Reliqui Ciues in ſuas quiſque Tribus translati ſunt, ſuaque habent Monopolia, quae ibi *Zünffte* alibi *Gildae* appellantur. Atque ex his tantum Senatores, ex illis Scabini etiam & Conſules creantur.

Honoribus igitur, matrimonio, ciuitate, ſocietate patricia auctus *Ioannes Fichardus* Collegas ſuos *D. Hieronymum zum Lamm* alias Agninum, & *D. Nicolaum Burchardum* Iuriſconſultos Clariſſimos aetate & loco ſuperiores ſtudioſe obſeruare, Senatores colere, ciuibus hoſpitibuſque omnia humanitatis officia praeſtare, nec non beneficiis multos afficere & promere ex animo ſuo, praeclaras illas quas puer atque adoleſcens col-

 lege-

legerat opes disciplinarum, commendatam sibi iustitiam fideliter tueri, animum sic moderari, vt nihil a se ipse expectaret, sed a DEO Optimo Ter Maximo manare putaret omnia, bonorum omnium fonte perenni & aeterno. Qua propter neminem fere maleuolum, sed sui potius amantes & studiosos expertus est bonos omnes: neque repertus quisquam est, qui, vt saepe fit, de suis commodis, vel laudibus, alterius huius fama & emolumento quid decedere metueret. Ea vero erat in ipso humanitas, & facilitas, vt suauitate sua solennes plerumque conuiuiorum congressus exhilararet, cumque nihil ab ipso fieret diceretur ue perperam, conniueret tamen, praesertim in nuptiarum atque aliis solennium ceremoniarum epulis ad aliorum laetitiam aliquando etiam nimiam. In vita autem domestica nequaquam sui erat dissimilis. Cum enim iustitia vitaeque innocentia & temperantia summa praeditus esset, vitam domi agebat placidam, atque ab omni dictorum factorumque asperitate abhorrentem. Dumque suis ipse Rei publicae salutaribus sibique laudem & vtilitatem afferentibus curis laboribusque vacaret, interim conseruandae rei familiari operam dabat coniunx & liberos ad pietatem morumque probitatem informabat. Haec illi peperit *Raimundum Pium, Mariam, Ioannem Hectorem, Elizabetham,*

tham, Iulium, Margaritam, Christophorum, Ioannem Iacobum: quorum *Ioannes Hector, Iulius* & *Margarita* in complexu Parentum expirarunt aetate immatura. *Christophorus & Ioannes Iacobus* spei optimae adolescentes studiorum caussa missi in *Italiam,* febri vterque sublati; ille *Patauii* die XVIII. Octobris Anno Christi M. D. LXXIV. aetatis XXI. hic *Estae* III. die Decembris Anno Christi M. D. LXXVI. aetatis eodem, quo ille. Sed *Raimundus Pius* natus VII. die Mensis Maii inter horam XI. & XII. merid. Anno Christi M. D. XL. amplissimos honores & fortunas in patria consecutus, viuendo in his terris Annos XLIV. compleuit, & triennio postquam pater decessisset, Anno scilicet M. D. LXXXIV. contagio in aedes ipsius a peste infecta famula illato XXVI. die Nouembr. pie obdormiit, magno Senatui Amplissimo & amicis dolore, coniugique ac liberis desiderio relicto maximo. Is cum a puero pietatem & literas amaret, & sensus eo omnes suos cogitationesque conuerteret, vt patris euaderet quam similimus, nactus etiam esset Institutores industrios, & *Basileae* denique *Coelium Secundum Curionem* Praeceptorem & Hospitem aliosque liberalium artium ac Iuris vtriusque Interpretes idoneos, eas fecit progressiones, vt tandem perlustratis *Galliis* & *Italia* auditisque celeberrimis ibidem Professoribus, Iuris vtriusque

triusque Doctor crearetur *Ferrariae* XXIII. die Aprilis Anno Christi M. D. LXIII. In patriam autem reuersum, & peregrinationes maiores animo concipientem retinuit parentum carissimorum auctoritas: quorum voluntate studioque & opera amicorum, matrimonium contraxit cum honestissima veterisque & patriciae familiae virgine *Catharina*, Domini *Ioannis Volckeri* Viri Consularis & *Catharinae Stumphiae a Dettingen*, quae nobilis & equestris in *Wederauia* familia est, filia vnica, quam vxorem duxit XXV. die Iunii, eodem illo, quo ex Italia redierat anno. Cumque hac in matrimonio suauissime, sine vlla acerbitate vixit annos XXI. susceptis vtriusque sexus liberis compluribus. Horum *Daniel Pius* optimae spei puer obiit die XXV. April. Anno Christi M. D. LXXVII. aetatis XII. *Ioannes Osualdus* & *Ioannes Christianus* matris viduae, singularis exempli foeminae, cura instituti liberaliter educatione doctrinaque puerili ad patris auique imitationem & quasi imaginem adhuc effinguntur. *Catharinam* in matrimonio habet Dominus *Philippus Ruckerus*, Patricius & Senator, Domini *Nicolai Ruckeri* V. I. D. germanus, prudentia & humanitate paterna auitaque praeditus. Etenim Auus horum Francofordiensis Rei publicae Aduocatus olim erat, & ArchiEpiscopi Moguntinensis Principis Electoris Con-

Conſiliarius praecipuus, patruus Camerae, vt appellant, Imperialis *Spirae* Adſeſſor. Parens vero eiuſdem Ciuitatis Senator ac Scabinus, Viri Clariſſimi, & immortali memoria digni. Ex hac autem narratione apparet IOANNIS FICHARDI ea quoque felicitas, quod cum liberali educatione atque obſequio liberorum delectatus, tum ex eorundem ſucceſſibus & honoribus laetatus eſt plurimum. Etenim, quod filias etiam attinet, natu maiorem *Mariam* duxit vxorem *D. Arnoldus Engelbrechtus*, honeſto & praeclaro Aquiſgrani loco natus, I. V. D. ipſius FICHARDI Francofordiae Collega fidelis, Vir vt Iuris prudentiae, ſic & Linguarum multarum maxime peritus, morumque elegantia & humanitate praeſtans. Alteram vero, *Elizabetham*, in matrimonium collocauit *Georgio Mengershuſio*, qui & Senator deinde factus eſt, & Conſul. Itaque breui tempore Generos ſuos ambos gerere vidit ſummos in Re publica celeberrima honores vno Aduocato & Syndico, altero Senatore & Conſule. Et ille quidem viuo Socero deceſſit, ſed fuit tamen in locum ſtatim defuncti ſororii ſuffectus, *Raimundus Pius Fichardus*, quo cum Patre ius dicente, ſuum gerebat Magiſtratum *Mengershuſius*. Verum hic, vt ſunt res hominum fragiles, poſt Soceri obitum, menſes vix ſeptem ſuperfuit: cum enim ob grauia quaedam nego-

tia, atque vt vna reduceret filium suum optimae spei adolescentem *Hieronymum Mengershusium*, in *Italiam* profecturus *Lichstalum* duobus vltra *Basileam* milliaribus situm oppidulum peruenisset, in morbum, tum ex equi iactatione, tum ex coeli grauitate, vt putabatur, contractum incidit. Erat autem in comitatu eius doctissimus & humanissimus Iuuenis, qui studiorum caussa iter istud suscepisset, *Iacobus, Henrici* Filius *a Roda*. Is vbi imbecilliorem illum videret, quam vt posset Alpium istas difficultates superare, subsistendum & prius adhibendam putauit curationem. Cumque de inexpectato casu hoc Dominum *Christianum Danonem* natione Italum, ciuitate Basiliensem, Virum integerrimum, *Mengershusii* amicum singularem & hospitem atque Clarissimum Virum *Adamum Henricum Petri* I. V. Doctorem & Professorem, cui & ob Socerum *Fichardum*, *Mengershusius* carus, & a me quoque ad omnia humanitatis officia per literas commendatus esset, certiores fecisset, nihil isti cunctati Dominum *Theodorum Zuingerum* V. C. qui tum in Academia illa Magistratum gereret. maximaque cum laude & multorum salute artem medicinae faceret, interpellant. Hic igitur pro humanitate sua singulari cum illis *Lichstalum* pedes statim profectus, in grauiori, quam creditum fuerat, morbo, *Mengershusium Basile-*

am

am referri cupientem, offendit. Qua propter, licet a vicino praeclarae existimationis ac humanitatis Viro nobili accepta lectica *Basileam* illi relato *Dn. Zuingerus*, adiutore Clarissimo Viro Domino *Thoma Erasto* medicinam adhiberet, tamen ingrauescentis morbi vis, eius statim diei, quo *Basileam* reductus esset nocte, inuocantem DEVM trinum & vnum, atque in nomine IESV Christi huic sese pie commendantem sustulit. Quamuis autem procul a suis obiret, honorificis tamen sepulturae ceremoniis & exequiis non caruit. Nam die sequenti, qui erat XII. Ianuarii Anni M. D. LXXXII, tum Senatus Populusque Basiliensis, tum Academia & studiosi funus ei fecerunt amplissimum, singularis affectionis & *συμπαθείας* plenum. Locum autem sepulturae dederunt in Parochia Diui Petri, vbi & reuerendus Vir Dominus *Huldricus Coccius* Theologiae Doctor & Professor, concionem funebrem habuit: quam deinceps ad Basiliensium beneuolentiam declarandam typis excusam edidit. Sane istis de improuiso hoc & inopinato casu nuntiis tristissimis Francofurtum allatis, immatura haec illius mors a vidua liberisque relictis atque a propinquis & amicis omnibus maxima animi perturbatione commotis, deplorata est. Et vt acerbi doloris iusta ei ab his quoque fierent, cum antiquae familiae & fidei Viro,

 Danie-

Daniele Stephaneo, Patricio Francofordienſi, defuncti illius ex ſorore nepote *ipſe* quoque *Baſileam* ſum ablegatus. Vbi & Ampliſſimo Senatui tum Vrbis, tum Academiae, pro ſummae humanitatis, defuncto illi praeſtitis officiis, gratias, non quas debuimus, ſed quas potuimus egimus: & monumentum ſepulto faciendum locandumque curauimus accepti tractatique publice ac priuatim a Senatu, quem dixi, vtroque perquam humaniter & benigne. Porro ex hac quaſi digreſſione, variam videmus vitae humanae commutabilemque rationem, vbi paruo momento laetitia pellitur moerore, moerorque laetitia. Atque hinc etiam fortunatus putandus IOANNES FICHARDVS, quod ante & generum & filium deceſſit, quorum vterque ipſum breui ſunt ſubſecuti. Etſi enim fortunam vtramque moderate ferre didicerat, & nihil eſſe in hominis vita, diu nouerat, homo tamen erat nequaquam ferreus, & memini illum, vbi poſt praemiſſam coniugem cariſſimam, cum filia *Maria* generum quoque ſuauiſſimum *D. Arnoldum Engelbertum* amiſiſſet, & aliquot ex *D. Raimundo Pio* Nepotes, & fratrem germanum *D. Caſparem Fichardum* Cam. Imp. Aduocatum cauſarumque Patronum & denique breui tempore in Italia Filios duos, conſolanti mihi ipſum, & ad illas ſuorum mortes fortiter ferendas cohortanti occine-

re

re deſcripta a Poeta Satyrico ſenectutis incommoda illa:

Vt vigeant ſenſus animi, ducenda tamen ſunt
Funera natorum; rogus aſpiciendus amatae
Coniugis & Fratris; plenaeque ſororibus vrnae.
Haec data poena diu viuentibus, vt (renouata
Semper clade domus) multis in luctibus inque
Perpetuo moerore & nigra veſte ſeneſcant.

Sed pergamus enarrare breuiter reliqua. Dum IOANNES FICHARDVS non exiguam rei Politicae curam laboremque in ſpeciali illa, quam ſupra dixi Imperii domo ſuſtineret, interim magis magisque mutabatur paſſim adminiſtratio *Rei Eccleſiaſticae*, quae variis affecta detrimentis, tanquam vetus ruinoſumque aedificium ad interitum procumbere videbatur: quod cum aliquarum partium demolitione inſtaurandum quidam, alii ſarcienda ſaltim vitioſa, nonnulli tegenda putarent, animorum coniunctionibus diſtractis mutuiſque officiis interruptis, coeptum eſt indulgeri ſimultatibus & odiis manifeſtis. Vtque in aequore rabie concitato vnda vndam percellendo vrget, ita animis hominum maiorem in modum perturbatis creſcebant alienationes,

&

& miseriae miseriis accumulabantur, ac mala praesentia cladem in posterum minitabantur horribilem. Cumque eodem quo Nuptias celebrasset Anno M. D. XXXIX, coniunctis in Augustana, vt appellant Confessione ordinibus visum esset *Francofurti* conueniri * & iniuriarum metu, de legitima contra violentam forte oppressionem defensione deliberari; Comitia haec magna illum sollicitudine affecerunt, neque de talibus congressibus unquam bene sperauit. Licet enim animus illis esset, rebus laborantibus succurrere & ad opem ferendam plenis qualis velis contenderent, tamen vt secundum Nasonem:

Curando fieri quaedam maiora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.

Ita ista Rei publicae non quasi vulnera non modo sanata, sed grauius semper irritata sunt. Et metuebat FICHARDVS ne ea rebus exulceratis adhiberentur remedia, quae plus nocerent, quam prodessent, curareturque malum malo. Ideoque tales actiones magnopere ipsum excruciabant, & cum Anno M. D. XLIII. *Schmalkaldiae*, quae vrbs est sita in Hassiae & Duringiae Franciaeque Orientalis finibus, rursum conuentum

* Compara IOANNEM SLEIDANVM Commentariis *de Statu Religionis & Rei publicae Lib. XII.* p. 341. ad an. *1539. Edit. Argent. 1555.*

uentum esset, & istae tandem Tractationes in armorum perniciem euasurae viderentur, variis animi perturbationibus curisque vexatus in febrim ibi tertianam VIII. die Iulii incidit: qua tamen sub mensis eiusdem finem, cum conuentu soluto domum reuerteretur, liberatus est. Equidem de temporum istorum tristitia & euentis querelas hic deplorare nolo. Sed illud ad ostendendam *Ioannis Fichardi* prudentiam pertinet, quod eas, quae paucis post annis consequebantur res, praeuidit. Nam ista inclusa exacerbatis vtrinque animis odia, quae, tanquam praecedentia tempestates, murmura, iamdudum sapientiorum animos percellebant, in subiti belli tandem motum, & horribilem eruperunt procellam. Ea vero procella cum in tota prope Germania strages dedit immanes, tum Francofordienses, quorum salus tunc & fortunae in extremum periculum summasque angustias adducebantur, afflixit vehementer. Itaque cum iam de sacris & profanis non verbis amplius, sed armis acerrime disceptaretur & aliqua tandem copiarum hostilium pars *Duce* Comite *Burano Francofurtum* obtineret *Ioanni Fichardo* publicas istas & priuatas miserias attentius animaduertenti, nihil reliquum fuit quietis. Cum irati victoris animus deprecatione esset placandus ad illum ire iussus

lega-

legatus & deprecator, nulloq; salutis suae priuatim habito respectu, media hieme medios per hostes transiens, offendit Imp. *Heilbrunnae.* Anno igitur Christi M.D.XLVII. die Saturni proxime tunc trium Regum ferias sequente, vbi circiter horam quartam pomeridianam e Caesareae Maiestatis Palatio per Vice Cancellarium *Naues* reducerentur foras *Baltazar* a *Gutlingen*, *Ludouicus* a *Frawenberg* & *Ioannes Fesslerus* V. I. D. qui pro suo Principe *Vldrico Duce Wirtembergensi* suppliciter deprecati essent, admissus ille quoque est suo cum comitatu, suaque supplex deprecatione ibi consecutus id est, vt mitigatus *Caesar* Francofordiensibus clementissime ignosceret, & benignissime erga Ciuitatem se illam affectum esse ostenderet. In hac autem legatione & deprecatione supplici, FICHARDVS Comites sociosque habuit *Hoierum* a *Melheim*, & *Danielem Zum Iungen* Patritios & Consulares, atque *Ioannem Vetterum* Senatorem, Viros prudentia atque virtute excellentes maximosque amatores patriae: qui non tantum illustrium meritorum posteritati memoriam, sed & filios reliquerunt partim ad amplissimos Rei publicae honores progressos, Viros summos & integerrimos: partim adhuc progredientes & vestigia paterna obseruantes. Porro vix ac ne vix quidem, sedata erat horribilis

lis rerum perturbatio cum noua exiſterent contra Imperatorem eundem *Carolum*, ab Illuſtriſſimo Saxoniae Duce *Mauritio* Principe Electore, ſociiſque belli Principibus, Expeditionis ſuſceptae pericula. Quamuis enim Imperator nullis parceret laboribus aut impenſis, vt in priſtinum ſtatum reſtitueret omnia, tamen animaduerſum fuit eam ad rem fuiſſe remedia adhibita minus idonea. Etenim aegra Res publica non modo non ſanata illis eſt, ſed magis debilitata, Germaniaque rapinarum & caedium immanitate miſere dilacerata ferroque vaſtata & igni. Cumque Francofordia in fide Clementiſſimi Imperatoris permaneret, & quae ad ſuſtinendam obſidionem neceſſaria forent, appararet, Caeſareis quoque praeſidiis munita fuit, oppugnationemque hoſtilem fortiter ſuſtinuit. In qua obſidione & *Georgius Dux Megalburgenſis*, is, qui ante biennium Magdeburgenſes inopina clade affectos, primus obſederat, globo tormentario ictus interiit XIII. die Iulii Anno Chriſti M. D. LII. His igitur continuo moleſtiis & curis imo & periculis maximis exercebatur IOANNES FICHARDVS, neque vero vbi Martius ille furor deſaeuiſſet, curarum tamen publicarum expers erat, nouas vſque & vſque ſolicitudines afferendas tum variis legationibus, tum crebris Ordinum Imperii Comitiis,

tiis, quorum celeberrima illa habita ſunt Francofordiae Anno Chriſti M. D. LXII. in quibus XXIV. die Nouembris *Maximilianus* Bohemiae Rex, Auſtriae Archi-Dux *Ferdinandi* Imp. Filius, conſentientibus Electorum Principum ſuffragiis ſolenni ritu publice renuntiatus ac XXX. die menſis eiuſdem, patre praeſente coronatus eſt Rex Romanorum. Sed perſequamur, quod reſtat paucis vitam FICHARDI ceteram, praecipue domeſticam. Etenim non minus domi, quam foris laboribus negotiiſque perpetuis diſtentus, omnis erat remiſſionis expers. Si a Comitiis aut aliis legationibus dabatur vacatio, ſuoque in Curia fungeretur munere, domum redeuntem audiendo ac dicendo, non etiam nunquam ſtando circumeundoque feſſum, magna excepit plerumque omnis tum conditionis, tum nationis clientum turba, in nundinis praeſertim operiebantur, qui de rebus ſuis & negotiis conſilium ab eo peterent: alii qui aut ab aliis afferrebant, aut ad alios requirerent literas: nonnulli verbis aliorum ſalutem plurimam dicentes, & colloquia ipſi cum eo rerum familiarium, ſaepe etiam prandium aut coenam expetentes: quidam ſtipem flagitantes. Horum cum neminem triſtem dimitteret, fecit, vt veteres moleſtias patienter ferendo, quotidie inuitaret nouas. Cumque poſtremis

ſtremis vitae annis coniugem cariſſimam amiſiſſet, illis, qui aliis non parum graues ſunt, interpellatoribus viduitatem ſuam & ſolitudinem leuabat. Itaque nunquam vidi ſolum ipſum vel prandere, vel coenare, eaque ex conſuetudine & conuictu amicorum percepta voluptas animum eius recreabat vnica. Animaduerti autem potuit benignitas, &, vt loquimur, benedictio diuina, quod in promiſcua liberalitate illa, nunquam deficeret ipſum vel crumena vel penus. Et licet in re familiari augenda, vel ſaltem aſſeruanda, iſta aetate, tot aſſidue domi foriſque negotiis occupatus, viduus, non ita multum attentionis poſſet adhibere, in dies tamen affluebat, quorum vſus indigeret copia. Facile ſolebat eorum qui egebant affici miſeriis, horumque plurimos non conſiliis modo & opera iuuit, ſed opibus ſuis & facultatibus. Quam ob rem DEVS optimus Ter Maximus qui iſtam illi mentem, iſtas dederat fortunas, annos quoque dedit, quaſi vitae ſpatium cum bonis illis adaequans. Vere enim Dauid eum, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, beatum DEOque carum praedicat. Etenim quo aetate fieret prouectior & augerentur anni, eo valebat rectius. Et quamuis Podagra tandem ipſi videretur fore moleſta, nunquam tamen ex ea proſtratus decubuit. Cibos faſtidiebat nul-

tiis, quorum celeberrima illa habita fu
Francofordiae Anno Christi M. D. LX
in quibus XXIV. die Nouembris *Maxi*
lianus Bohemiae Rex, Austriae Archi-D
Ferdinandi Imp. Filius, consentientib
Electorum Principum suffragiis solenni
tu publice renuntiatus ac XXX. die men
eiusdem, patre praesente coronatus est R
Romanorum. Sed persequamur, qu
restat paucis vitam FICHARDI ceteram
praecipue domesticam. Etenim non m
nus domi, quam foris laboribus negoti
que perpetuis distentus, omnis erat remi
sionis expers. Si a Comitiis aut aliis l
gationibus dabatur vacatio, suoque in Cu
ria fungeretur munere, domum redeun
tem audiendo ac dicendo, non etiam nun
quam stando circumeundoque fessum
magna excepit plerumque omnis tum con
ditionis, tum nationis clientum turba, i
nundinis praesertim operiebantur, qui d
rebus suis & negotiis consilium ab eo pe
terent: alii qui aut ab aliis afferebant, au
ad alios requirerent literas: nonnulli ver
bis aliorum salutem plurimam dicentes
& colloquia ipsi cum eo rerum familiari-
um, saepe etiam prandium aut coenam ex-
petentes: quidam stipem flagitantes. Ho-
rum cum neminem tristem dimitteret, fe-
cit, vt veteres molestias patienter ferendo,
quotidie inuitaret, nouas. Cumque po-
stremis

ſtremis vitae annis coniugem cariſſimam amiſiſſet, illis, qui aliis non parum graues ſunt, interpellatoribus viduitatem ſuam & ſolitudinem leuabat. Itaque nunquam vidi ſolum ipſum vel prandere, vel coenare, eaque ex conſuetudine & conuictu amicorum percepta voluptas animum eius recreabat vnica. Animaduerti autem potuit benignitas, &, vt loquimur, benedictio diuina, quod in promiſcua liberalitate illa, nunquam deficeret ipſum vel crumena vel penus. Et licet in re familiari augenda, vel ſaltem aſſeruanda, iſta aetate, tot aſſidue domi foriſque negotiis occupatus, viduus, non ita multum attentionis poſſet adhibere, in dies tamen affluebat, quorum vſus indigeret copia. Facile ſolebat eorum qui egebant affici miſeriis, horumque plurimos non conſiliis modo & opera iuuit, ſed opibus ſuis & facultatibus. Quam ob rem DEVS optimus Ter Maximus qui iſtam illi mentem, iſtas dederat fortunas, annos quoque dedit, quaſi vitae ſpatium cum bonis illis adaequans. Vere enim Dauid eum, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, beatum DEOque carum praedicat. Etenim quo aetate fieret prouectior & augerentur anni, eo valebat rectius. Et quamuis Podagra tandem ipſi videretur fore moleſta, nunquam tamen ex ea proſtratus decubuit. Cibos faſtidiebat nul-

los: a deliciis autem epularum abhorr
bat. In magnifico Belgici conuiuii app
ratu recordor ipſum ad menſam, ciboru
praecioſorum copia abundantem accumb
re, & deliciarum iſtarum guſtantem nih
ſed pane ſaltem vinoque contentum, ſu
uitate ſermonis conuiuas laute veſcent
exhilarare, ac poſt illata tandem bellari
quae & ipſa mero ſaccaro & exquiſitis ar
matibus opipare condita cerneret, modeſ
atque urbane caſeum requirere, eoque all
to ſolo veſci. Verecundia in ipſo erat eximi
comitas atque affabilitas ſuauiſſima, animu
candidus & apertus, nullaque inuidia a
odio ſuffuſus: optima non tantum rerum
ſed verborum quoque memoria: vox tu
animo, tum corpori formaeque conſenta
nea, natiua grauitate ſine vlla oſtentatio
ne virilis. Sermo planus & diſertus. I
ſeriis tractationibus loquentium argutia
figuraſque orationis ambiguas oderat. S
cum altero de tempore aliquo conſtitueret
ſemper horae momentum & nominari &
obſeruari voluit, omnia confuſa indefini-
taque in rebus etiam leuioribus auerſatus
Religioſae pietatis erat obſeruantiſſimus
neque ipſe tantum ſcrutabatur ſcripturas
ſed in tota quoque ſua familia Verbum
DEI, ſecundum Apoſtoli praeceptum, ha-
bitare volebat abunde. Itaque tum ipſe,
tum amanuenſes ad prandia & coenas di-
cebant preces, & Pſalmos ſacros recitabant,
ac

ac diebus Dominicis ex Doctorum Ecclesiasticorum libris illis, qui vulgo *Postillae* nominantur, explicationem textus Euangelici clara voce praelegebant eiusque generis Interpretes non quaerebat, vt alias fit, nouos, sed obseruabat, veteres. Eos vero, qui Iurisconsultos quasi malos Christianos a rerum sacrarum scientia excludunt, eamque sibi solis arrogant, in numerum hypocritarum referebat, & in epigrammate quodam, quod cum *D. Heinrici Husani* ICti disertissimi, carminibus sacris editum est, nugatores esse ostendit. *Leges & Iura Ciuitatis Francofordiensis*, quam *Reformationem* vocant, iussus recensere, ita recognouit, vt nullis ea *Reformatio* Ciuitatis alterius institutis siue Ordinationibus aequitate cedat, neque minorem FICHARDO Francofordienses, quam Soloni Athenienses, Lycurgo Spartani, Decem viris Romani gratiam debeant. Scripsit plura, quae sine Auctoris nomine typis excusa extant, interque eos *Carminum Libros* aliquot Iuuenis edidit: *Artem* item *Notariatus*. *Communium* in Iure nostro *Opinionum*, vt vocant, vno Volumine colligendarum edendarumque apud nos Auctor fuit. *Iuris* autem *Responsa* post obitum Patris, *Raimundus Pius Fichardus*, cum aliis rogantibus, tum *me* instante, colligere, atque ad editionem adornare coeperat, sed morte inopinata praeuentus, quod instituerat, non

perfecit. Saepius igitur *D. Henricus Kel-*
rus V. I. D. Patricius Francofordiensis
Syndicus, *Fichardi* vtriusqne Collega &
micus fidissimus, a me per literas interp
latus, vt, quod praenominatus eius Coll
ga inceperat, ipse absolueret, obsecut
tandem aliquam *mihi* operis partem rece
sendam & *Teutonica*, quae Consultorib
Auctor inseruiens inseruerat, in serm
nem Latinum transferenda, committeba
Nam *Raimundo Pio* placuerat, vt Tom
vnus prodiret totus Latinus, alter, vt p
Consultorum qualitate scriptus erat, La
tino-Germanicus. Responsa interim omn
distribuenda, summaria vbi deessent con
ficienda, reorum siue partium nomina in
ducenda, ipse susceperat. At omnia sun
hominum tenui pendentia filo. Vix hae
vbi attigisset, ipse quoque morte immatu
ra interceptus die XVIII. Mensis Ianuar
Anno Christi M. D. LXXXIX. annos na
tus LII. Menses IV. magno dolore affeci
cum propinquos & amicos, tum Senatum
Francofordiensem atque ciues vniuerso
moerentes ob fidelissimum & consiliorum
curarumque omnium participem Aduoca-
tum amissum. Vir hic, doctrina, huma-
nitate, dignitate omnique genere laudis
excellens, cum vtroque FICHARDO vi-
xerat cumprimis familiariter, eosque prae-
mortuos breui secutus, spectatissima cum
fide

fide diligentiaque ſingulari officio ſuo functus eſt annis aliquot. Coniugem reliquit multis virtutibus praeditam viduam cum vtriuſque ſexus liberis, quorum natu maiorem *Georgium* a pueritia in literis verſatum, patris fore ſimilimum iamdudum mihi perſuaſum eſt. Ceterum paucis poſt menſibus frater quoque illius natu maior ex hac vita migrauit *Ioannes Kelnerus* Praetor aequiſſimus, qui & eum ſuis in patriam meritis colophonem addidit, vt filios reliquerit vnum Senatorem, alterum Aduocatum, tertium ſummae expectationis iuuenem. Porro Conſiliorum Fichardi editione illa bis iam ſummorum Virorum obitu retardata, premere illa poſthac *Haeredes Fichardiani*, neque in vulgus edere conſtituerant. Nam ad recognoſcenda ea deſcribendaque ſumtus erat impendendi non exigui: & Socero *Fichardo* in iſta quotannis in nundinis nouorum Conſiliorum affluentia non placuiſſe audierant Noctuas Athenas: & fore vt de talibus Reſponſis de ſummi Viri ingenio doctrinaque & eloquentia iudicium fieret. At pleraque tum ad Conſultorum captum accommodata, tum non tam ſcripta, quam ex tempore effuſa, nulla cum Auctoris laude poſſe diuulgari, cui grauiſſimis publicorum negotiorum aſſidue tractationibus diſtento, nunquam otii tantum fuiſſe conceſſum recordarentur,

 quan-

quantum ad libros eiusmodi requireret
elaborandos. Verum licet non viderent
nullius haec esse momenti, tamen *ipse*
illos superioribus nundinis vernis pro
ctus persuasi ipsis adiutore *D. Nicolao R*
ckero, vt quod tum *Raimundus Pius*, tu
Henricus Kelnerus, inchoatum reliqueran
nobis deinceps perficiendum mandaren
Quam igitur *D. Kelnerum* huic Consilioru
elaborationi operam daturum fuisse sup
memini, eam nobis dedit *D. Ruckerus*, q
praeterea quasdam, quae inter relegendu
occurrebant, adiecit in Consilia aliquot (
omnia enim propter temporum angusti
non potuit), annotationes, futuras Cand
do Lectori non ingratas. Vtinam vero
mea probetur Lectoribus opera. Equ
dem edita maluissem *Consilia* ita omnin
omnia, vt ab Auctore scripta erant Latino
Germanica, neque in Latina transferen
di necessitatem fuisse mihi impositam. Se
cum *D. Raimundi Pii* vel Typographi po
tius, voluntati parendum esset, istam, i
qua Latinitatis purioris rationem obserua
re minime potui, linguae patriae tradu
ctionem suscepi prope inuitus, quae si tan
tum mereatur probationis, quantum mih
peperit taedii, nihil querar. Vt auten
constaret Lectori, quae verba sint Aucto
ris, quae autem Interpretis, signis ea con
uenientibus notanda putauimus. Cum

qu

que non ad nominis nostri famam, sed ad communem studiorum vsum illa suscepta a Nobis opera sit, neminem, fore speramus, qui aliquid hinc criminis inferat, & vel maledictis contumeliisue Nos apertis incessat, vel tacitis cogitationum conuiciis verberet. Sane iis, qui se ad praxin exercent, hoc Responsorum genus plurimum esse profuturum spero. * Quamuis enim

* De vsu & praestantia *Consiliorum Fichardianorum*, ad commendandam eorum iteratam Editionem excitatus IOANNES STRAVCHIVS subacti Iurisconsultus iudicii, praemissa Praefatione, qua de Responsis cum Veterum tum recentiorum ICtorum breuiter neruoseque agit haec praedicat: *Quo nomine non dubito laudare* FICHARDI, οὐκ ἐπιδιφρίου τινὸς νομικοῦ, *sed eximii atque exercitatissimi Iuris Antistitis Responsa, quibus Doctorem quondam suum* VLRICVM ZASIVM *at quantum ICtum! imitatus fuisse videtur. Eminet in his iudicium in rebus forensibus subactissimum: Eminet argumentum de his in primis, quae communi vitae vsu comprehenduntur, vel vt Theophilus appellat* τῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν κινουμένων πραγμάτων; *Rebus, vt Gaius ICtus appellat, quotidianis, qui libros hac inscriptione olim dedit aliquot, quas & reliqui quoque ICti praecipua cura tractandas putauere vt videre est e L. XXV. ff. de liber. leg. & L. I. pr. de susp. Tut. Imo Iustinianus ipse*

non tam composita, vt dictum est, quam raptim in chartas coniecta, nec tam edita quam Consultoribus vrgentibus extrusa sint, tamen ne sic quidem vel ingenium FICHARDI, vel sapientiae & doctrinae vis atque copia latet, dum nunquam a re proposita sermonem abducit, nihil alieni intexit, sed tanquam intra septa orationis flumen coercet, in rebus exponendis luculenta breuitate perspicuus, in confirmandis confutandisque acutus & animosus, nunquam eneruatus: ita vt quasi aurificis

indidem se condendarum legum ansam arripuisse, idque sibi solemne fuisse Nouella CVIII. pr. testatur. Eminent rationes Iuris solidae & ex ipsa argumenti sede depromtae. Non ibi frigidae nullius momenti auctoritatum falsarumque aut captiosarum allegationum syluae reperiuntur. In elaboratione simplex & purus stylus & perspicuitatis lumen apparet. Non verbosis famam captat strophis

summa delumbe saliua
Nil natat in labris, nec in vdo est Moenas & Attis.

Non lapidat legentium animos brocardicorum ineptorum grandinibus, quibus deplanat nouiora pleraque: sed quae suadenda, quae vel probanda, vel improbanda sumit, haec limpidis maximam partem Iuris fontibus lustrat atque perfundit.

cis ſtatera tum perpendiſſe videri poſſit verba ſingula, tum ſententiarum pondera cautione ſingulari examinaſſe. Equidem cum ſermonibus de FICHARDO interfuerim multorum, neminem adhuc audii, qui, quae inſpicienda ſibi contigiſſent, eius Conſilia illam quam modo dixi praeſtantiae laudem, non mereri putaret. Ex quibus ſi vnum illum non *Haſſiae* tantum, ſed vicinarum terrarum Iuriſconſultum praecipuum *Regnerum Sixtinum* dicam, omnes dixero. Vt igitur Nobilis & Ampliſſimi ICti *D. Modeſtini D. Simonis F. Piſtoris* Collegii Iuridici in Academia Lipſienſi olim Praeſidis Ordinarii, meique ibidem Praeceptoris & Hoſpitis, filii patri ſuiſque maioribus digni, Reſponſorum paternorum editione de Iuriſprudentiae ſtudiis praeclare meriti ſunt, ita & *Haeredes Fichardianos* praefata illa Editione Iuris atque Praxeos ſtudioſos non leuiter eſſe demerituros confido. Sed vt finem huic tandem & modum narrationi faciam, breuibus quoque exponam mortem IOANNIS FICHARDI & obitum. Is vt laborum & defatigationum ſuarum operam communi patriae libenter impendebat, neque vnquam valetudinem ſuam ac vitam pluris putabat, quam commoda ſui, vt ſcripturae loquuntur, proximi: tamen aetate profectiori quietis liberalioris, imo & placidae ex hac vita commigrationis tenebatur deſiderio: vt apparet ex edito

primum Anno Christi M. D. LXXVIII. & biennio post iterato voto, cuius conclusio ista est:

Vixi huc vsque aliis, curis exercitus atque
Sollicitudinibus variis, non absque periclis,
Quae mihi non raro Legato obeunda fuere.
Iam rude donari, iam dulcis amore quietis
Viuere quod superest cupio tranquillus & opto.
Quando autem dabitur tandem, MIHI viuere posse?
Imo CHRISTE TIBI? qui solus terminus atque
Vnicus es vitae scopus, in quem figere cunctos
Et sensus animi debemus, & intima cordis.
O bone, cum soli cupiam Tibi vivere posthac,
CHRISTE, pio (tua qua bonitas est) annue voto:
Et tandem emerito optatam concede quietem,
Inque tuum post hanc me vitam suscipe regnum!

Etsi enim nulla tum tristiora senectutis experiretur tædia, neque vel animi, vel corporis viribus destitueretur, non tamen voces eius, senectutem grauiorem deprecantes nullæ auditæ sunt. Cumque, ubi quem nostrorum defunctum esse audimus, perturbari nos soleamus, ille non modo molliter ferebat amicorum obitus, sed ad suum etiam paratum se ostendebat. Memini praestantissimum Iurisconsultum *Ludouicum Grempium* amicum praecipuum, notare per-

per literas familiares ſcriptas illud, quod modo dixi, votum, quaſi propinquae praeſagitionem mortis: at illum praelectis nobis literis accinere;

Vera precor fiant noſtrae praeſagia mentis:

& addere illud, quo magnopere delectabatur, Diſtichon:

Securus Mortis, qui ſcit ſe Morte renaſci:
Non Mors haec dici, ſed noua Vita poteſt.

Poſtquam igitur compleret iam annum aetatis LXIX. quem noſtris temporibus multi non attingunt, finem ei Chriſtus, quem optauerat largitus eſt VII. die Menſis Iunii Anno Chriſti M. D. LXXXI. Decendium autem prope ante, quam mortem obiret, domo ſe continebat. Eo tempore Ego ruinoſo aedificio inſtaurando occupatus, cum ab *Andrea Lonicero* Archiatro Francofordienſi, affini meo & amico praecipuo, certior fierem, non belle valere illum, & requirere congreſſum meum & colloquium, idemque mihi eodem prope momento ſignificaret ſacrorum Antiſtes Dominus *Petrus Eltveldius*; ibam ſtatim, & ſolum offendebam, decumbentem non in lecto, ſed grabato. Tum accedentem prior ille me ſalutare, &, vt ſe res habeant, vt valeam, quaerere. Sibi quidem nihil admodum moleſtum eſſe praeter vnam inſomniam: nihil ferre ſe grauiter praeter vnam iſtam ſoliti laboris vacationem. Vtque nonnihil ſentiat dolorum

lorum tamen aliorum comparatione eos ſibi videri leues. Cum autem paratum interea eſſet prandium, nobiſcum accumbebat, & licet nihil cibi caperet, affabilitate tamen ſolita menſam condiebat & humanitate: & praecipue ex ſacris literis, quae erant ipſi familiaria, exempla proferebat conſolationis plena, neque mortem cuius metum iamdudum repuliſſet horrere ſe, aut, ſi illius adueniſſet dies, fugere oſtendebat. Atque ita quidem iſta, qua affectus obiit infirmitas nihil neque ſolitos ipſius ſermones, neque praeclaras pietatis Chriſtianae cogitationes impediit. Quin & iiſdem diebus, bene de ciuibus merendi ſtudium non intermiſit. Et vidi in grabato tunc interpellatum cum ab aliis, tum a *Sigismundo Feyerabenio* Bibliopola, quo familiariter ſemper vſus eſſet, omnia, quae petebantur, praeſtare officia: & quibuſdam egentibus non contemnenda pecuniae ſumma mutuando benigne ſuccurrere. Ex inedia vero, & illa, quam vnam ſibi moleſtam aiebat inſomnia, viribus corporis debilitatis, & apoplexia tandem laeui lateris linguaeque & palpebrarum neruis reſolutis, auditu tamen ſibi conſtante & ſalua, quod dextra ſignificabat, mente, mortem in Chriſto obdormiſcendo obiit cruciatus & horroris omnis expertem. Corpus autem in Templo, quod communi coemiterio contignum,

tiguum, Diuo Petro ſacrum eſt, humandum efferebant moeſtiſſimi & dolorem ſuum lugubri habitu profitentes Typographi vniuerſi, ad cohoneſtandas funeris exequias magna omnis ordinis ciuium conueniente frequentia & lugente non tam mortem FICHARDI quam Reipublicae Francofordienſis detrimentum: Ab externis quoque iuſta illi facta ſunt Epicediis ſcriptis ac verſibus Epitaphiis. Cum maxima enim eorum parte, qui aetate noſtra aliqua eruditionis fama clari fuerunt, notitia illi intercedebat & amicitia: & inuitabant hos ad illum amandum cum aliae illae, quarum ſupra memini, virtutes, tum liberalitas ac beneficentia.

SCRIPTA
IOANNIS FICHARDI

Conſilia, ſiue *Reſponſa Francofurti ad Moenum 1590. f.* apud *Sigiſmundum Feyerabend, Henricum Tacquium & Petrum Fiſcherum duobus Tomis*, quorum *Primus* Conſilia Latino ſermone ſcripta continet; *Secundus* vero, eodem anno impreſſus, Teutonica habet, de qua prima Editione vide quae ſupe-

periori allata sunt Narratione p. 291. seqq. Iterum prodiere, cum breui, pereleganti tamen Praefatione IOANNIS STRAVCHII exquisitissimi Iurisconsulti *de Veterum ICtorum Romanorum Consiliis & Responsis Darmstadii & Giessae 1677. f.* quam Editionem procurauit suo sumtu operaque ALBERTVS OTTO FABER Collega Gymnasii Francofurtani, qui exterorum in gratiam quae in Consiliis his vernacula lingua scripta erant, latina reddidit inque *Tres Tomos* distinxit, quorum *Tertium* in Schedis delitescentem ab interitu vindicauit lucique restituit. *Tomo I.* Feudalis Iuris Consilia plura extant; *Tomo II.* potissimum Ciuilia; *Tomo III.* admixta varia Iuris Criminalis cumprimis in Inquisitionis Processu contra Sagas, cuius Tomi tamen potissima Pars aliorum celebrium ICtorum Consilia siue Responsa exhibet *Hieronymi scilic. Scharffii, Ludouici Grempii, Petri Brem, Philippi Reineri, Galli Tuschelini, Conradi ab Osenbach, Ioannis Molitoris, Adolphi Knoblauch, Arnoldi a Glauburg,* additis singulis Tomis Indicibus copiosis.

Singulatim prodiit *Consilium Matrimoniale Francofurti ad Moenum 1580.*

Vitae

Vitae recentiorum Iureconſultorum, qui poſt recuperatam Romani Iuris prudentiam eandem & docendo & ſcribendo profeſſi ſunt, Pataüii apud *Iacobum Iordanum ad ſignum Aquilae* 1565. 4. iterum *Venetiis* 1584. 4. & nouiſſime *Guido Panzirolo de Claris Legum Interpretibus* cura celeberrimi Viri CHRISTIANI GODOFREDI HOFFMANNI iuxta editionem Patauinam p. 397. additae, qui & Praefationis praemiſſae fol. 5. de iisdem *Panziroli* Iudicium adfert. *Irnerius* FICHARDO primus eſt in ZASIO Praeceptore optime de ſe merito finit.

Indices duos omnium Scriptorum in Iure tam Pontificio quam Ciuili, a veteribus & recentioribus Iuriſconſultis ad ſua tempora editorum a *Ioanne Neuizano* & *Ludouico Gomeſio* coeptum ſuppleuit & continuauit, quos, ſi fides habenda eſt IANO IACOBO BOISSARDO *Iconum Virorum Illuſtrium Parte III.* Elogio noſtri *p. 134.* impreſſit *Ioannes Oporinus Baſileae* vna cum veterum ICtorum Vitis per *Bernardinum Rutilium* deſcriptis & Fichardi Perioche Vitarum.* Recuſus auctior ex ſchedis & annotationibus *Fichardi* cura *Ioa. Wolffgangi Freymonii* in Obernhauſen, *Francofurti ad Moenum* ſub Titulo: *Elenchi omnium*

um Auctorum Iuris Ciuilis & Canonici, Francofurti ad Moenum 1579. 4. & *ibidem* 1585. 4. nostro *Fichardo* inscriptus.

* Quod etiam testatur *Freymonius* Epistola Dedicatoria his Indicibus a se auctis praemissa, annumque 1539. designat, quo primum hi Indices a *Fichardo* suppleti, prodierint.

Eodem *Boissardo* indice & teste ex *Claudii Galeni* Libris Graecis latinitate donauit: *De Libris propriis*: *De ordine librorum suorum*: *De Praesagiis ex insomniis*: *Quomodo morbum simulantes sint deprehendendi*: De *exercitatione paruae pilae*. *Consilium in Morbo Comitiali*. Sequitur iisdem plane verbis ADAMI *p.* 114.

Variorum quoque de *Cautelis* Scriptorum Tractatus iunctim edidit, praemissa praeclara Praefatione *de recto & vero vsu Cautelarum Lugduni* 1572. & *Francofurti ad Moenum* 1575. *f. ex Typographia Nicolai Bassaei* cum noua Praefatione Filii *Raimundi Pii Fichardi*, qui ab se obseruatas collectasque Cautelas addidit. Recusi *Lugduni* 1577. *f.* & *Francofurti* 1582. *f.* Senioris vero FICHARDI excitata de recto veroque

que Cautelarum vſu Praefatio etiam aliorum de *Cautelis* ſcriptionibus eſt praemiſſa, nimirum *P. Cornelii Brederodii Eurematiκῶν ſ. Cautelarum Tomis III. Baſileae 1590. 8.* impreſſis.

Sic etiam de *Magis* & *Maleficis* Scriptorum Collectionem procurauit, quae ſub Titulo: *Mallei Maleficarum de Lamiis & Strigibus & Sagis aliisque Magis & Daemoniacis eorumque arte & poteſtate & poena*, apud *Lazarum Zeznerum* prodiit *Francofurti* ſ. potius *Argentorati 1620. 8.* recuſa inde auctior *Lugduni 1669. 4.* Recenſionem Scriptorum iisdem collectorum vide in illuſtris B. G. STRUVII *Bibliotheca Iuris Selecta Cap. XI. §. IX. p. 442. Edit. V.* quo etiam indice IOANNIS BODINI *Magorum Daemonomaniam* germanice vertit FICHARDVS noſter excuſam *Argentorati 1586. 8.* *

* Compara ill. THOMASII Diſſertationem elegantem *de Origine ac Progreſſu Proceſſus Inquiſitorii contra Sagas, §. LXIX, p. 57.*

In THOMAE HYDE *Catalogo Bibliothecae Bodleianae p. 251.* FICHARDO noſtro adſcribitur: *Onomaſticon Philoſophico-Medico-Synonymum, & alterum pro vocabulis Paracelſi 1574. 8.* excuſum, quod tamen nec vidi, nec ab aliis memoratum deprehendi; eodemque eidem *Vitas Virorum, qui noſtro & ſuperiore Seculo Eruditione claruerunt, Francofurti 1536. 4.* excuſas, video eſſe attributas, quas & *Michael Hertzius Bibliotheca Germanica* n. 442. excitat, iisdemque X. Germanorum VI. Italorum & II. Anglorum Vitas a variis Scriptoribus conditas contineri dicit, quae, cuius ſint commatis, eaedemque an diuerſae a Vitis ICtorum dicere non poſſum, quum eaſdem non viderim.

VITA

VITA NICOLAI CISNERI

annotata

a

QVIRINO REVTERO *

in Academia Heidelbergensi Professore.

NAtus est NICOLAVS CISNERVS Anno a salutifera D. N. IESV CHRISTI natiuitate M. D. XXIX. XXIV. Martii,

* Propinquus CISNERI & beneficiarius. Compara *Opuscula Cisneriana p. 972. 974.* Hanc Narrationem REVTERI more suo ad verbum descripsit MELCHIOR ADAMI *Vitis Germanorum ICtorum p. 115.* Breue Elogium Imagini adposuit NICOLAVS REVSNERVS, quem teste fratre *Elia Reusnero*, in suis familiarissimis & maxime necessariis atque singulari concordia coniunctis CISNERVS habuit, *Imaginibus Virorum illustrium p. 390.* ita conceptum: NICOLAVS CISNERVS *Mosbachii Palatinatus Electoralis oppido natus anno M. D. XXIX. spectatae Vir industriae ac virtutis: qui multiplice exquisitaque omnium paene literarum praestans scientia, Philosophiae & Iurisprudentiae Doctor celeberrimus Academiae primo Heidelbergensis Antecessor Iuris Ciui-*

tii, Mosbachii, familia vetusta eaque hone-
stissima

lis solertissimus; dein supremi Camerae Imperialis Iudicii Assessor per annos XVIII. integerrimus, ProIudex tandem & Senator Illustrissimae Septemuiralis Curiae Palatinae dignissimus, pereruditis in omni doctrinae genere, ac praesertim in Iure libris scriptis immortalem sui nominis laudem & gloriam apud omnes mortales reliquit sempiternam: Iustitiae & Aequitatis Antistes ac Praeses Opt. Max. Musarum & Historiae cultor eximius pie sancteque mortuus decessit Heidelbergae Anno Sal. M. D. LXXXIII. Prid. Idus Martii Aet. Anno LIII. M. XI. D. VI. adiiciuntur inde *Ioannis Posthii, Pauli Melissi, Ioannis Lauterbachii, Paschasii Brismanni,* ipsius *Reusneri,* qualia eiusdem elegantiae, & *Opusculis Cisnerianis* plurima sunt adiecta, quae tamen, quum a genio nostri Seculi sint aliena, describere nolo. Sequitur IANVS IACOBVS BOISSARDVS addito Effigiei Elogio, quod adiectis quibusdam Scriptis eadem habet *Parte II. Iconum Virorum illustrium p. 179.* PHILIPPO MELANCHTHONI in Testimonio *Georgio Eschingero* anno M. D LVII. Calend. Iuniis, dato, Opusculor. p. 924 audit: *integerrimus & doctissimus Vir.* DAV. CHYTRAEVS *in Descriptione Chreichgoae* Vitembergae M.D.LI. edita, eum nominat: *Clarissimum Virum & omni doctrinae & virtutis elegantia politum* & paulo post vna cum *Francisco Balduin* in Academia Heidelbergensi *Iurisprudentiae* e

ſtiſſima. Fuit haec vrbs olim vna ex Imperialibus, at ante ſecula plura, Imp. conſentiente, iuriſdictionis Principum Palatinorum effecta: & quidem annis abhinc ducentis aulae ſedes *Otthoni*, *Ruperti* Romanorum Regis filio (qui poſt mortem primogeniti Fratris *Ludouici Barbati*, licet ceteris fratribus aetate iunior, Adminiſtrator Electoralis Palatinatus ob virtutes eſt conſtitutus vſque ad maturam aetatem *Ludouici Placidi* A. C. M.CCCC. XLII. item *Otthoni II.* Filio, Principi docto, & tum aliarum ſcientiarum ſtudioſo cultori: vnde hi Mosbacenſes Palatini ſunt cognominati; quorum ſtirps cito deſiit: eo quod *Otthoni* huic, &

ruditum lumen vocat: *Michael Neander* Ilfeldenſis Scholae illuſtris Rector in Chronico praecipuis Germaniae ICtis annumerat *Virumque praeter Iuris cognitionem doctrina varia & veterum hiſtoriarum ſcientia excellente.* Et *Orbis Terrae Deſcriptione*, egregio ob multa ſingularia quae inſerta ſunt libello, *p. 53. Iuriſconſultum dignitate & auctoritate praecipua in Aula Palatina praeſtantem*, indeque *laborioſiſſimum & doctiſſimum* vocat. Sed iam ſatis eſt Elogiorum! Vellem, & de Vitiis hominis non tacuiſſent, qui de Vita ipſius quaedam prodidere. Sed de iis altum eſt ſilentium, nec mihi hac de cauſſa ſtudioſe perquirenti, obtulit vel leue indicium.

tribus fratribus ἀγάμοις, ac his quidem Ecclesiasticis esse iuberet, *Rupertus* enim Episcopus Ratisbonensis; *Albertus* Argentinensis item Episcopus, *Ioannes* Augustanus Praelatus esse maluit, quam prosapiam in Germania nobilissimam propagare: prout eius seculi mores, aut potius superstitiones ferebant.

Iam autem est ea ciuitas vna e praecipuis Electoralis Palatinatus municipiis, siue praefecturis, & caput vicini territorii: a Nicro vel Neccaro flumine celeberrimo distat vno lapide, loco sat fertili, atque irrigua & amoena valle sita, Franconiae montibus, plerisque viniferis, pene cincta: Dioeceseos Herbipolensis in Ecclesiasticis olim, habuit Ecclesiam collegiatam, vt vocant, siue congregationem Presbyterorum compluri-um: Templum *Friderici II.* Imperatoris aeuo, magnifice extructum, & munifice tum ab aliis, tum ab *Ottonibus Palatinis Mosbachensibus* est locupletatum. In ea ciuitate iam ab aliquot seculis eminuit *Cisneriana Familia*, quae praecipuas etiam & consulares dignitates gessit. Ac vt alios maiores omittam, auus NICOLAI *Ioannes* vir ordinis Senatorii Anno M. CCCC. XCIV. in extrema senecta, praeter laudem magnam, reliquit ex se natos quatuor filios, *Iodocum*, *Andream*, *Ioannem*, *Wilhelmum*. *Iodocus* genuit hunc NICOLAVM Iuris Vtriusque Doctorem

ctorem, de quo agimus, Professorem & Consiliarium Electoralem Palatinum, & *Paulum* Iuris vtriusque Licentiatum, itidem Professorem in Academia Heidelbergensi & in Curia Palatina Aduocatum atque Consiliarium, qui post se reliquit filios duos *Ioannem Conradum*, in Neuhusiano Gymnasio studiosum, sed tristi fato, dum aquam e circumfluo stagno haurit, summersum: alterum *Georgium*, Ducis Pomeranorum Stetini Secretarium & Quaestorem, ac *Iodocum* ciuem & senatorem Mosbacensem: quorum filii iam defuncti, nepotes autem ex filiabus superstites sunt, vt & neptes, honoratis viris elocatae. Alter filius *Andreas* quatuor itidem filios habuit, & sobolem numerosam. Ex *Andreae* filio *Andrea* natus est *Ionas* Consul & Senator Heidelbergae, cuius soror *Cunegundis* nomine *D. Richardo Hemelio* Illustris Paedagogei Heidelbergensis Rectori nupta fuit. Tertius filius *Ioannes*, auus meus maternus, copiosae quoque prolis parens extitit, quam longum sit enumerare. Quartus *Wilhelmus*, primus Euangelii restituti praeco & pastor in oppido *Lorbach*, vbi luculenta arx ab *Aemylia* siue *Amalia* vidua *Friderici III. Pii* &c. plures annos habitata, altero lapide a Mosbachio: & ipse foecundus, praeter alios nepotem superstitem habet *Christophorum Heimbergerum* Senatorem Wormatiensem. Sed omissa Ge-

nealogia, ad NICOLAVM redeo. Is a parentibus & patruis inde a pueritia bonis in ſchola patria literis imbutus, & in omni virtutum genere educatus, cum ingenii & indolis praeclarae ſpecimen egregium edidiſſet, *Heidelbergam* miſſus eſt, vbi primum in *Gymnaſio Nicrino*, quod ab alluente Nicro ſic etiamnum vocant, & tum illuſtre Paedagogeum erat, antequam hodiernum inſtitutum fuit: quod a *Friderico III.* factum, Anno XLII. operam ſtudiis aetati conuenientibus dedit, ex qua quidem ſchola non paucos doctos Viros prodiiſſe ſaepe dicebat, poſt anno M. D. XLIV. in *Collegium Dionyſianum*, quod nunc ab illuſtriſſimo & fortiſſimo Duce, *Ioanne Caſimiro*, qui ex fundamentis aliud aedificauit ſplendidiſſime Anno M. D. LXXXVIII. *Caſimirianum* dicitur, aſcitus, inſignes tum in literis humanioribus in primis Latinis & Graecis, ac Poeſi, tum in Philoſophia progreſſus fecit, adeo vt primam lauream Anno M. D. XLV. XVI. Iunii, poſt XLVII. VI. Iulii Philoſophici Doctoratus, ſiue vt vulgo, Magiſterii inſignia conſequeretur, adeoque in Senatum Philoſophicae Facultatis cooptaretur. Atque tunc quidem, ad docendum alios animum adiecit, omnemque ſuam operam & ingenii vires ad inſtituendos ſtudioſos contulit; *Ariſtoteleam Philoſopiam*, & alias, etiam *Mathematicas diſciplinas* explanando, multa legendo

do ſcribendoque, clarum ſibi nomen parauit. Poſt profectus eſt *Argentoratum* & ſtudiorum, & aliorum doctorum virorum notitiae, vſusque maioris comparandi cauſa; ſed abſenti tamen locus in Academia patria nihilominus integer ad reditum ſeruatus. Illic *Martinus Bucerus* doctiſſimus & pacis ſtudioſiſſimus Theologus CISNERVM humaniſſime complexus eſt, vt qui ipſi iunctus affinitatis quoque vinculo eſſet. Nam *Buceri* coniux, Mosbacenſis, & CISNERI auiae ex ſorore neptis erat, eique locum apud ſe ſtudiis aptiſſimum & a domeſticis negotiis alienum, cum ſumma teſtificatione amoris conceſſit. * Nec *Bucero* ſolum, ſed

* Audiamus ipſum CISNERVM huius commoditatis beneuolentiaeque teſtem & laudatorem Epiſtola an. 1548. ad *Martinum Bucerum* perſcripta & *Opuſculis Ciſnerianis p. 921.* ſubiecta: *Quod niſi tanta res mea ageretur, nunquam adduci potuiſſem, vt a Vobis diſcederem. Etſi enim & hic aliquam habeamus Euangelii lucem, meaque conditio ſatis proſpera ſit: tamen longe mallem vobiſcum eſſe, vbi cum alia ſtudia, tum vel maxime* PIETATEM *magis excolere poſſim. Sed quia id in tanta temporum perturbatione fieri nequit, niſi fortunam florentem, inclinata & iacente permutare velim; illud a te peto, vt ſi certo loco res tuae fuerint & commode facere poſſis, mei rationem habere velis.*

& *Petro Martyre*; *Paulo Fagio, Ioanne Sturmio*, ceterisque luminibus Argentinensis Rei publicae familiarissime est vsus *Cisnerus*: & illorum in se beneuolentiam & virtutes saepius praedicauit; ac sacrarum quoque literarum & purae religionis cognitionem ex ore illorum hausit, de quo sibi plurimum est gratulatus. Ad amicum * eo tempore sic scripsit: *Argentinae Religio adhuc integra est, neque perditum illud commentum* (Interim vulgo dictum) *promulgatum. Legatos ad Caesarem misit Senatus, qui peterent, vt recepto deterrimo monstro in Collegiatis templis; reliqua purae*

* GEORGIVM EISCHINGERVM Mosbacensis Ecclesiae Ministrum, Epistola Heidelbergae 1548. perscripta, quae inter excitata *Opuscula* p. 922. extat, qua & *Buceri* in se adfectum singulariter laudat, his verbis: *Argentorati omnia mihi ex animi sententia successerunt. Cum Bucero de rerum mearum statu ita sum locutus, vt mihi viderer animum hominis omnino ad me tuendum traduxisse. Humanissime me excepit, familiarissime me complexus est, locum apud se studiis meis liberum, & a domesticis negotiis alienum, cum summa testificatione amoris in me sui, concessit. Itaque quam primum potero, Argentinam rediturus sum, ibique cum* linguarum cognitioni, tum sacrarum literarum studio *operam daturus*. Inde quae iam attulit REVTERVS sequuntur.

rae verbi DEI praedicationi & vero Sacramentorum vſui conſeruarentur. Haec tum Ciſnerus. Veruntamen paulo poſt diſcedente *M. Bucero* in Angliam*, ab amicis religioni puriori fauentibus ad docendum *Heidelbergam* reuocatus, & ab Illuſtriſſimo Principe Electore *Friderico II.* ſtipendio liberali dotatus eſt. Ac cum veritatis, literarum, & in primis *Philippi Melanchthonis*, vtpote ciuis Palatini, Germaniaeque Phoenicis, deſiderio flagraret, abiit hinc *Wittebergam*: vbi quanto ſit *Philippus* illum amore complexus, oſtendunt Epiſtolae ** & Carmina, quorum aliqua nunc in lucem proferimus. *Witteberga* rediit huc Anno LII. & de voluntate *Friderici* Principis Electoris primus *Ethices* Profeſſor publicus, extra ordinem, & praeter morem antiquum maio-

* Potiora haec vitae ſuae memorabilia CISNERVS Literis ad *Leonhardum Engelhardum* Scholae Studgardianae moderatorem exponit, quam *Opuſculis p. 975.* inſertam, ſecutus auctor huius Narrationis QVIRINVS REVTERVS.

** Melanchthonis Epiſtola paucis ante obitum ſummi Viri menſibus, Kalend. nimirum Ianuar. 1560. perſcripta, qua CISNERVM *Fratrem ſuum* appellat, ſubiecta eſt *Opuſculis* iam ſaepe excitatis *p. 924.* qua patriae videndae ſe deſiderio teneri fatetur & *Sigiſmundum* fratris filium commendat. Reſponſoria *Ciſneri p. 925.* extat.

maiori ſalario, quam alii Philoſophiae do-ctores, conſtitutus, interpretando *Graeca Ariſtotelis ad Nicomachum Ethica*, & *Ciceronis de Finibus libros*, expectationi ac muneri ſuo praeclare ſatiſfecit: in quo perſtitit vſque dum ſaeua peſtis Anno ſequente M.D.LIII. Scholam diſſipauit. Itaque tum agmine multorum diſcipulorum nobilium, in queis *Ioannes Landſchad a Steinach*, poſt Aulae Electoralis Marſchallus & Mosbachenſis Praefectus, alii, atque etiam *Iulius* & *Antonius Geuderi* Patritii Noribergenſes, tantum non oneratus (ipſius CISNERI verbis vtor) in *Galliam* poſt in *Italiam* ſe contulit; ac in iſtis regionibus amplius quadriennio commoratus Iuri Ciuili, & praeſtantiſſimis ICtis operam dedit, & in Academia *Piſana* Doctor renuntiatus*, nec eius ſolum ſcientiae, ſed elegantium etiam literarum Profeſſoribus *Petro Victorio*, *Franciſco Robortello* ceteriſque clariſſimis Italis,

* Quod anno M.D.LIX. contigit. Adhibe Lector Erudite, Epiſtolam CISNERI excitatam iam ad *Engelhardum p. 976*. aliamque qua *Petro Calefato*, Equiti Aurato & *Hieronymo Maleuoltae* Patritio Senenſi, Anteceſſoribus *Piſanis* ſuiſque Promotoribus, *Franciſco Robortello* & *Petro Victorio* enixe ipſum commendantibus gratias agit, *Opuſcalis p. 943*. Adde aliam ad *Petrum Victorium p. 977*.

lis, cariſſimus imo admirationi fuit: *Biturigibus* autem in primis: *Franciſco Duareno, Hugone Donello* * reliquiſque Iure Conſultis ** familiariter vſus. Vixit etiam *Andibus* & *Pictauii*, *Rupellam* Santonum portum adiit. *Bibliothecas* in illis regionibus praecipuas inquiſiuit diligenter, ita iubente & petente Illuſtriſſimo Electore *Ottone Henrico* Palatino, qui libris raris antiquitatiſque venerandae Palatinam Bibliothecam inſtructurus, nulli ſumptui, nulli labori pepercit: quo gloriam immortalem & ſibi & Bibliothecae Palatinae peperit.

Anno M. D. LIX. reuerſus e Gallia CISNERVS I. V. D. & multiplice ac exquiſita ſcientia auctus, *Heidelbergenſis* Academiae Profeſſor Pandectarum, ſimul Electoris Palatini *Friderici III.* Conſiliarius eſt deſignatus: *** nec multo poſt *Franciſci Balduini* ſucceſſor,

* Compara Epiſtolas *Ciſnerianas ad H. Donellum* Opuſculis p. 947. ſeq. & huic libello ex parte p. inſertas.

** IACOBO CVIACIO ICtorum Principe, vti ex Literis *Ciſnerianis* patet *Opuſculorum p. 945.* quibus tum *Theophilum Daſypodium* commendat, tum Commentarios Cuiacianos in tres poſteriores Libros Codicis impenſe laudat.

*** CISNERVS ad Amicum in Gallia, Kalend. Nouembr. *1559. Opuſc.* p. 940. *De mea conditione ſic habe. Iam mihi & vt officio fungar*

cessor, & Iuris Ciuilis antecessor, a proceribus Academiae, ob praeclaram docendi facultatem, industriam & promtitudinem ac integritatem vitae, constitutus.

Duxit sub id tempus, anno nimirum LXII. Coniugem *Annam* filiam *Hartmanni Hartmanni* ab Eppingen I. V. D. quondam Imperialis Camerae Assessoris, post Consiliarii & Cancellarii *Friderici II.* Electoris Palatini &c. Istum *Hartmannum Solonis Palatini* cognomine nostrates indigitarunt, ob Iuris scientiam, consilii praestantiam, iustitiae tutelam, agendi dexteritatem: quibus virtutibus adiunxit verae religionis studium & assertionem, vt Epitaphium eius ostendit: in quo Vir in rebus agendis animi & consilii praestantia conspicuus, veritatis iustitiaeque assertor strenuus appellatur. In Annalibus etiam laudatur, quod artes & literas elegantiores Academiae, Ecclesiis Palatinis Euangelii doctrinam, restituerit, vt qui totus in id incubuit, vt a Papatus sordibus eae repurgarentur. Obiit V. Non. Quintil. Anno Christi M. D. XLVII. eo quoque nomine felicior habitus, quod similem sibi filium

---

Consiliarii & Professoris Iuris a Principe Illustrissimo iniunctum est, & decretum honestum salarium. Sed me quid amplius consecuturum ex sponsione spero. Commodorum etiam Academiae, atque alii Professores, non minus particeps sum,

lium reliquit *Hartmannum* & ipſum I. V. D. Imperialis Camerae Aſſeſſorem, poſt Trium Electorum Palatinorum Conſiliarium, Inclyti Conſiſtorii Electoralis Palatini Praeſidem, ſiue Iudicem aulicum, ac Heidelbergenſis Dioeceſeos Praefectum, affinem CISNERO multis nominibus coniunctiſſimum. At matrimonium iſtud fuit orbum liberis, vnde poſtea CISNERI haereditatem nepotes ex fratribus adierunt.

Rectoratum Academiae geſſit anno M. D. LXIII. aliaſque dignitates cum commodo Scholae: cui quidem per octennium ſplendoris & laudis plurimum attulit: e qua diſceſſit Anno M. D. LXVII. in ampliſſimum Imperatorii Iudicii Collegium & Camerae Spirenſis Adſeſſorem cooptatus. Itaque Sereniſſimi Principis Electoris *Friderici* III. permiſſu, imo voluntate *, vt

* Ipſe noſter CISNERVS Epiſtola ad *Ioannem Poſthium* Medicinae Doctorem & Archiatrum VVirzburgicum, amicum ſingularem, *Spirae* VIII. Octobris 1571. ſignata: *Audio mihi vt ingrato obtrectari, quod Heidelberga diſceſſerim: cum tamen non ſolum Illuſtriſſimi Principis Electoris permiſſu, ſed & beneficio, qui me nominauit huc venerim: vbi ea & didici & obſeruaui, quae maximi redimere nolim. Neque quaeſtus cauſa, ſed exercitationis, hunc appetiui locum, vt maiori poſtea vſui patriae eſſe que-*

vt qui illum ad eam prouinciam nominasset, *Spiram* se recepit, vt exercitationi Iuris in summo tribunali se dederet, & patriae maiori vsui esset. In ea statione permansit Annos XIV. omnium ordinum summa gratia & approbatione : & summi illius tribunalis honori & emolumento : iustitiae & aequitatis antistes integerrimus : Historiae simul & Musarum cultor eximius. Nam ibi quicquid ab ordinariis laboribus vacui spacii habuit, legendo, scribendo, varios auctores euoluendo, & edendo consumsit, omne tempus se perditum ratus, quod libris non impendisset. Collegis Assessoribus & nominatim *Reinhardo a Sickingen* : *Melchiori* a *Feilsch* ; *Henrico Ramel* ; *Renato* a *Duyn* ; *Reinhardo ab Oldenhusen* ; *Iona Weidenkopf*, *Ioa. Wagesser Theodoro Appiano* : ceterisque valde carus, & acceptus fuit, quos inter D. *Ioannes Hartlieb* cognomento *Walsporn* Argentinensis Reipublicae Consiliarius fidelissimus, & Cisnero

am. Et alia ad *Engelhardum 8. Nouembr. a. 1579. p. 976. Ac licet mihi tum ab Academia, tum a Principe optimum esset stipendium : tamen vt exercitationi Iuris in summo tribunali me dederem, cooptatus sum in amplissimum Assessorum Imperatorii Iudicii collegium, in quo nunc annum decimum tertium ago.*

nero familiarissimus *, adhuc viuit, & de ipso rebusque eius testificari potest. Ac illi quidem CISNERVM libenter & cupide secum *Spirae* retinuissent, cuius sapientiam, aequitatem, ἀγχίνοιαν, integritatem, multo tempore cognouissent *: sed eum Anno M. D. XXC. Illustrissimus & optimus Princeps *Ludouicus* ** Elector

X Pala-

* Inter singulares CISNERI Amicos quoque referendus IOANNES POSTHIVS, doctrinae cultissimae Medicus & Archiater VVirzburgicus, quem subinde insigniter laudat & ad eundem crebras misit epistolas, cunctaque consilia iisdem communicauit, quas inter Opuscula edidit *Reuterus*.

** Quum Anno M. D. LXXV. de munere Adsessoris Cameralis Iudicii deponendo consilia agitaret, certatim a diuersis expetitus fuit, quem rerum suarum statum *Posthio suo p. 999.* exponit hisce verbis : Heilbrunnenses *valde me sollicitarunt, vt ad ipsos irem. Itaque rursus ad eos profectus*, Syndicatus *munus, quia multum negotii habet, repudiaui, & ad id L. Kislerum Procuratorem Heidelbergensem promoui, & Aduocati officium suscepi : quod plane quietum est & tranquillum. Sed quando isthuc profecturus sum, non constitui, sed meae facultati reliqui.* Palatini Electoris *bona gratia mihi* Heilbronnae *agere licet : qui in octo grauissimis causis tractandis opera mea in aduo-*

Palatinus Heidelbergam reuocauit, vt eius consi-

---

cando & consulendo vult vti, eoque nomine, honestum mihi decreuit honorarium. Actum mecum quoque est de suscipiendo Patrocinio Comitatus VVertheimensis *& pro eo oblati 300. taleri. Verum contenditur, vt Wertheimi habitem. Defertur habitatio commodissima, cum aliis quibusdam ad victum pertinentibus. Iam etiam indicatum mihi est Marchionem* Brandeburgicum, VVirtebergicum & Carolum Badensem Marchionem *mecum acturos, meam vt iis operam in quibusdam caussis nauem. Petierunt quoque a me* Philippus Comes Ebersteinius, Ludouicus Comes Leonsteinius, *vt in controuersiis, quae in hoc tribunali disceptantur iis adsim. Sed nullus eorum egit adhuc de certo salario. Itaque nondum loco meo renunciaui: nec ante finem feriarum Canicularium renunciare cogito. Porro sex menses post renuntiationem hic me commorari ex Constitutione Imperii oportet. Quare hoc anno hinc discedere non potero: idque propterea, vt interea mihi thesaurum omnis generis actionum & processuum colligam.* Aliaque Epistola ad Eundem p. 1001. VVertheimium *vt eam, nec Illustrissimo Principi meo Electori Palatino placet, nec vllus amicorum, quibus res meae sunt exploratae, suadet. Paucisque interiectis: Ac licet Principi meo obligatus non sim, tamen nolim in eius offensionem incurrere. Quo circa*

consiliis, quae Pater *Fridericus III.* saluta-
X 2 ria

rem omnem differo. Neque enim temere hoc meum munus deseram. Rursusque alia 8. Sept. huius Anni perscripta, qua *Posthium* ad Poesin amplius excolendam hortatur, postquam indoluisset, sibi lectione barbarorum Iuris Interpretum multum de stilo detrahi, subiungit: *Sed nondum constitui priuatam vitam degere, quamuis eae mihi sint facultates vt commode possim. Inter ea aliae mihi sunt oblatae conditiones prioribus ampliores. Vnam recusaui propter longinquum admodum iter; de altera adhuc delibero. Si quid erit certi, faciam, vt scias. Nullam vero eiusmodi suscipiam, qua a studiis penitus abstrahar.*

* Cum vero Princeps hic Elector restaurandis in Palatinatu Electorali sacris Euangelico-Lutheranis summam adhiberet operam a CISNERO *Confessionem de Coena Domini* exhibendam sibi curauit, quam *Opusculis* ipsius *p. 960.* insertam, tua Lector Benigne, pace, dignam censui, quae iterum exprimatur:

SVMMA SENTENTIAE MEAE

De Sacra Coena Domini nostri Iesu Christi.

Credo Eucharistiam, iuxta verba Irenaei, duabus rebus constare, Terrena & Coelesti. Ter-

ria fuisse fuerat expertus, in Re publica patria

rena: scilicet pane & vino: Coelesti, scilicet corpore & sanguine Domini: & cum pane & vino vere & substantialiter adesse, exhiberi & sumi corpus Christi & sanguinem; Et quidem in hoc mysterio diuino ac coelesti, vero tamen & substantiali modo, non transubstantiatione, non locali inclusione, nec durabili aliqua extra vsum Sacramenti coniunctione, sed sacramentali vnione. Credo verbis Domini, Accipite & manducate hoc est corpus meum &c. Credo iuxta D. Paulum panem, qui frangitur in Ecclesia, esse communicationem corporis & sanguinis Domini. Ac propter hanc sacramentalem vnionem, quae est inter panem & corpus Christi, sancti Patres dixerunt, sumi corpus Christi in os nostrum, licet, vt & D. Lutherus scriptum reliquit, os nostrum ad corpus Christi per se non possit pertingere. Sic sacra scriptura tradit Ioannem Baptistam vidisse Spiritum Sanctum ascendentem tanquam columbam, & venientem super Dominum Christum; cum per se Spiritus Sanctus oculis corporis videri nequeat. Et huius Sacramenti institutionem valere in Ecclesia, nec pendere ex dignitate Ministri, aut sumentis, sentio. Ac indigne accipientes, reos fieri corporis & sanguinis Domini, statuo. Quod si controuertatur, quo modo hoc D. Pauli dictum sit intelligendum; communem primitiuae Ecclesiae & sanctorum Patrum interpretationem sequor. Quod si fusior a me declaratio petatur, subiicio

patria gubernanda commodius vteretur:

sanctorum Patrum sententias, non vllo studio partium conquisitas, sed, vt ex iis a Gratiano in farragine Decretorum sunt collectae, ita tamen vt si quaedam ab ipso vel Pontificibus sint interpolata, vt nonnullis in locis factum esse animaduertere licet, nullo ea modo approbem: sed ad ipsorum Patrum scripta genuina & integra, non deprauata vel mutilata hac compilatione Decretorum, me referam.

Cum vero & hoc ipsum Sacramentum, vt Augustinus tradit Tractat. 26. ad c. 6. Ioannis, signum sit vnitatis & vinculum, charitatis, DEVM oro, vt nos regat, qui in fundamento & plerisque articulis fidei secundum Augustanae Confessionis formulam, conuenimus, vt concordiae verbo Dei congruenti potius studeamus: vt a primariis nostra patrumque memoria reformatae Religionis Theologis factum videmus, quam dissidia alamus; vt deposita animorum acerbitate caritati & conciliationi operam nauemus, vt gloriam DEI, Ecclesiae Christianae vtilitatem, nostris siue cupiditatibus siue affectionibus anteponamus, Scriptum 1580.

Cui addendae omnino mutuae inter NOSTRVM & DAVIDEM CHYTRAEVM Rostochiensem Theologum magni nominis, Epistolae, de Controuersiis Theologicis cum primis Sacramentariis illorum temporum, lectu sane dignae quae *Opusculis* a *p. 962. ad p. 972.* sunt insertae ex quibus, quae in hoc Religionis negotio conten-

eique tum Curiae Palatinae Iudicis Vicarii, tum Extraordinarii quoque Professoris Iuris in Academia prouinciam duplicem demandauit: Vtramque praeclare gessit, quoad vires sinebant. Valetudine enim annis duobus insequentibus afflicta fuit: * cumque paralysis accessisset tandem extremum diem clausit Heidelbergae Anno M. D. XXCIII. VI. Martii intra quintam & sextam vespertinam, qua eadem die, Mense & Anno doctor *Zacharias Vrsinus* Theologus celeberrimus & illi Wittebergae studiorum socius, Neustadii expirasse fertur. Lubet hic inserere Magnificentissimi & tum Illustrissimi Rectoris Academiae Programma publice affixum, quo ad iusta CISNERO persoluenda, subditos inuitauit:

FRIDERICVS
DEI GRATIA HAERES NORWEGIAE
DVX SLESVICI ET HOLSATIAE
Academiae Heidelbergensis Rector.

Obiit heri circiter VI. vespertinam diem suum, collectus nimirum in sanctissimam coelestis paradisi Academiam Magnificus & Consultissimus Vir

---

so senserit CISNERVS perspici potest. Adde illustris B. G. STRUVII Patroni mei summi, *Historiam Ecclesiasticam Palatinam* Cap. VI.

* Hanc calamitatem auxit obitus Vxoris matronae ornatissimae qui anno 1582. contigit

Vir D. NICOLAVS CISNERVS I. V. D. qui & olim in inclyta hac Academia, maxima cum laude docuit publice, & postea in summo Camerae Imperialis Iudicio inter Adsessores eximium & praecipuum quendam locum singulari cum dignitate per multos annos obtinuit. Et inde rursus ex sententia Illustrissimi Electoris Palatini, Domini nostri clementissimi, ante triennium huc reuocatus, inter ceteras plurimas easque maximas & difficilimas occupationes iterum Academiae operam egregiam fideliter & feliciter docendo nauauit, donec tandem morbi grauissimi impetu fractus, postmodum & Rem publicam & Academiam & denique iam vitam huius mundi a DEO ipso ἐργαδότῃ euocatus reliquit. Fiet huic summo & venerabilis semper memoriae Viro, omni eruditionis laude, omni virtutis, integritatis, candoris, iudicii, consilii & dexteritatis atque etiam felicitatis gloria, quam admirabili cum grauitate & auctoritate, nec minori cum emolumento publico gessit & tutatus est, cumulatissime ornato atque aucto, fiet inquimus, ei funus hodie ad horam quartam. Cuius honor solus est, in quo tum officium pietatis, tanto nomini pro maximis laboribus & meritis extremum praestare: tum etiam deside-

 rii

vt ex Epistola *Paschasii Brismanni* ICti, constat, qua illum de hoc excessu solatur, p. 1016. *Opusculorum*; Ipse vero *p. 1007.* de aduersa Vxoris valetudine, narrat.

rii erga ipsum & simul animi nostri erga alios eius similes, quicunque sunt in vita superstites, indicium facere queamus. Quare hortamur omnes, non tantum Iuris Antecessores & studiosos, qui hoc lumen suum ingens vltro agnoscunt & venerantur, sed & caeteros Iurisdictioni nostrae subditos, apud quos doctrina, virtus & sapientia in honore est, vt dicto tempore ante aedes defuncti ad comitandum officiose & ornandum funus conueniant & simul diuinae Maiestatis ac potentiae vim, omnem gloriam atque virtutem humanam sub peccato & morte concludentis, & vicissim ineffabilis misericordiae atque bonitatis abundantiam & praeeminentiam ex profundissimo interitu, credentes omnes reuocantis & in statum multo gloriosiorem vindicantis, pie expendant, & pro Re publica, cui DEVS non obscure minitatur, cum tam grandes & fortes columnas ei subducit, vota religiosa faciant. P.P. VII. Martii Anno Saluatoris 1583.

Sepultum autem est illius corpus in choro Templi ad Spiritum Sanctum iuxta Coniugis, paucis ante Mensibus defunctae, socerique *Hartmanni* monumentum, Vir Clarissimus *Iustus Reuberus* hoc illi Epitaphium in pariete adscribi curauit:

PERPETVAE. MEMORIAE. NICOLAI. CISNERI. MOSBACENSIS. IC. SVA. AETATE. CLARISSIMI. QVI. PRIMVM. HEI

DEL

DELBERGAE. MAGNA. CVM. LAVDE. DOCVIT. DEIN. SPIRAE. ADSESSOR. TANDEMQVE. IN. SVPREMO. PALATINATVS. IVDICIO. PROIVDEX. CVM. OMNI. ADMIRATIONE. IVS. DIXIT. HAEREDES. GRATI. CVRANTE. IVSTO. REVBERO. POSVERVNT.

VIXIT. ANNOS. LIII. MENS. XI. DIES. VI. OBIIT. PRIDIE. NON. MARTII. POST. ANNAM. HARTMANNAM. CONIVGEM. MENS. IV. DIES. XX. ET. CVM. EA. HOC. SEPVLCHRVM. SIBI. COMMVNE. ESSE. VOLVIT.

Haec de curriculo Vitae CISNERI Viri multiplici & exquisita omnium pene literarum ſcientia praeſtantis, *φιλοπόνȣ* & indefeſſi laboris & induſtriae ſummaeque virtutis & ſinceritatis, dixiſſe ſufficiat. Ingenii monumenta lubens recitarem, ſi ad manus meas, omnia perueniſſent; Praeter enim *Opuſcula* iſta nunc a me diuulgata, ſcripſit plurima, tum in *Iure*, tum in *Hiſtoricis*, tum in *humanioribus diſciplinis*, vti *Commentaria in Ethica Ariſtotelis*; *de ratione exercendi ſtili ad imitationem veterum in primis Ciceronis Libros Quatuor*, in quorum

 primo

primo de Epiſtolis ad genus deliberatiuum pertinentibus egit: in ſecundo, de iis, quae ſub laudatione continentur: in tertio, generis iudicialis materias tractauit: quartum attribuit mixtis: ſicut ipſe ad amicum ſcripſit. Sed deplorandum hic eſt fatum *Bibliothecae* CISNERI, quam reliquit inſtructiſſimam, & manuſcriptis refertiſſimam. Accidit ei, quod de *Ariſtotelica* referunt autores vetuſti: quae cum ad Haeredes Theophraſti, diſcipuli Ariſtotelis, homines ἀπαιδεύτους, nec tanti theſauri gnaros, vel dignos aeſtimatores perueniſſet, carie ſituque periiſſet, niſi Sylla Romanus, captis Athenis, Apellicontis Bibliothecam, in qua latuerunt Ariſtotelis & Theophraſti monumenta, magno pretio redemiſſet: eaque doctis Grammaticis & Philoſophis, recenſenda commendaſſet. Sic iacuit & *Ciſneriana* plures annos abdita, gurguſtio humido recluſa, ſqualori, putredini, tineis & blattis obnoxia: poſt longe diſtracta, venit aere, nonnulla ſui parte, in poteſtatem Clariſſimi & Conſultiſſimi Viri, Domini *Philippi Hoffmanni* I. V. D. & Profeſſoris in inclyta hac Academia, collegae honorandi, qui pro ſua humanitate mecum aliquam farraginem chartarum CISNERI communicauit, ſed adeo confuſarum, mutilarum, foedatarum, vt opiner minori labore & moleſtia Maronem olim e quiſquiliis

liis Ennii (ſicut aiebat) aurum legiſſe. Tanta quoque κακογραφία fuit auctoris, vt a nullo manus eius ſatis poſſet agnoſci, ſenſumque ſubinde diuinare oporteret: cui tamen incommodo remedium petiui a Reverendo V. Domino *Andrea Haugio* Paſtore & Inſpectore Billigheimenſi, quem CISNERVS ſex poſtremis annis vitae librarium habuit fideliſſimum: Quemque *Paſchaſius Briſmannus* IC. manus, oculos, aures, linguam & pene mentem *Ciſneri* vocauit; populari & a pueritia commilitoni familiariſſimo: qui gratam & vtilem in explicandis obſcuris & deſcribendis κακογράφοις operam nauauit. Itaque ſi cui quaedam minus elaborata in hoc Libro videbuntur, autorem excuſatum habebit: cui ſi vita longaeua contigiſſet, tum haec recognouiſſet, tum multo plura, partim perfecta, partim affecta, ex diuitis ingenii & Bibliothecae penu protuliſſet: & rei literariae plurimum potuiſſet. Aſt aliud viſum vitae Domino ſemper optimo, Maximo, Iuſtiſſimo.

SCRIPTA
NICOLAI CISNERI.

OPVSCVLA Hiſtorica & Philologa tributa in Libros IV. edita ſtudio & opera *Quirini*

Reu-

Reuteri, qui & Vitam *Cisneri* praefixit. *Francofurti ad Moenum* in Bibliopolio *Ionae Rhodii M. DC. XI. 8.* continentur autem:

Libro I.

* Priores tres Orationes Historicae prodiere *Francofurti 1570. 8.* emendatius recusae *Argentorati* sumptibus *Lazari Zezneri, 1608. 8.* Christiano I. Saxoniae Principi Electorali a *Cisnero* inscriptae.

Libro II.

Oratio

Libro III.

Epi-

Libro IV.

de-

demum
Epitaphia Carminica in *Cisnerum*
continentur.

Singulatim prodiere:

Commentarius *de Iure Vsucapionum*, ad Tit. *π. de Vsurpationibus*, & *Vsucapionibus*, adiunctis aliquot praestantissimorum Iurisconsultorum *Nicolai Reusneri*, *Oberti Giphanii*, *Georgii Obrechti* Disputationibus, quibus tota Vsucapionum materia ex Bibliotheca *Nicolai Reusneri* continetur: editus opera & studio fratris *Ieremiae Reusneri*, Leorini, *Spirae Nemetum 1588. 8.* & *Francofurti 1611. 8.*

Commentarius ad Tit. Institutionum *de Actionibus*, item & *de Exceptionibus* cum Praefatione *Nicolai Reusneri*, recognitus & in lucem editus opera & fide *Ieremiae Reusneri*, *Spirae Nemetum 1588. 8.*

Commentarius *de Operis Noui Nunciatione* apud *Oporinum* primum, inde *Francofurti 1611. 8.* editus.

De Iudiciis, *Basileae 1588. 8.*

Decreta Visitationum Cameralium collegit & edidit hoc Titulo: *Visitations-Abschiedes*

des Kayserlichen Cammer-Gerichts von Anfang desselben, Francofurti 1570. *f.*

Commentaria ipsius *in Pandectas & Codicem Francofurti* 1578. *f.* in Catalogo *Bibliothecae Edinghianae p.* 20. deprehendo, sed Librum non uidi ipse, qui an idem sit cum *Cyni Lecturis in Codicem* a Cisnero, indice *Quirino Reutero*, Catalogo Scriptorum Vitae subiecto, *recognitis & notis marginalibus auctis*, definire non possum.

Operi Antiquitatum & Historiarum Germaniae *Simonis Schardii*, negligenter & inordinate admodum digesto, post mortem meritissimi huius Viri, precibus *Henrici Petri* Typographi & Bibliopolae *Praefationes, Indicesque* adiecit, praeter ea *Narrationem Historicam rerum sub Maximiliano II. Imp. gestarum*, a Schardio ad medium saltem Annum M D. LXXII. perductam, ad Annum LXXIV. exemplo *D. Hieronymi, Eusebii, Prosperi Aquitanici, Ioannis Tilii*, qui summa rerum capita eodem modo annotarunt, continuauit, & Epistola sub nomine *Sinceri Calonii* transpositione literarum ex proprio & cognomine confecto, *Erasmo Neustettero* Decano Comburgensi & Canonico Bambergensi & Wirzburgensi Patrono summo, quem Graece *Amandum Neapolitanum*, appellauit, inscripsit vt ex *Opusculis p.* 993. patet hacque occa-

occasione *Epistola* supra iam indicata, suum de *Schardianis* istis *Tomis* iudicium aperit, quidque in iis desideret, quoue ordine Historici, qui de Germania scripserunt, iusta & luculenta methodo disponendi sint, ostendit: operamque suam in adornando & edendo meliori *Thesauro Antiquitatum & Historiarum Germanicarum* pollicetur. Quae salutaria monita vellem, vel sciuisset, vel obseruasset *Hieronymus Thomae*, Augustanus, qui *Giessae 1673. f. Schardium Rediuiuum* produxit, sed eundem confusum minusque apte digestum, cum id tamen leui potuisset fieri opera.

Memorat idem *Reuterus* Cisnerum & *alia plura* scripsisse, quae perierint, additque: Superesse quasdam *ad Plinium Annotationes*, de quarum editione Epistola ad Erasmum Neustetterum *p. 1005. Opusculorum* agit, quas hisce *Opusculis* adiicere primum habuerit in animo, sed quia limam, vel saltem collationem accuratiorem requirere ipsi visae fuerint in aliud se tempus distulisse.

Ex Epistolis quoque CISNERI patet, eum diuersa Scripta sub manibus habuisse. Sic Literis ad *Petrum Calefatum* & *Hieronymum Maleuoltam* ICtos & Antecessores Pisanos, de Opusculo iuridici argumenti *p. 944. Opusculor.* exponit: *Cuius tra-*

ctationem in duas dispertiri partes voluerit, quarum priore ex veterum monumentis repetita, quid olim florente Romanorum Imperio, cuiuis Populo in iure ſtatuendo *licuerit : posteriore autem, ex recentiorum interpretum commentariis delecta : quid in hoc rerum statu eodem in genere liceat. Nam quia diuersa antiqua tempora ab his nostris, cum aliis multis in rebus, tum praesertim in hoc instituto fuerunt : conferenda ea inter se esse, non confundenda puto.* In alia ad *Iacobum Cuiacium* Epiſtola *p. 945.* mentionem iniicit : *Libri sui primi, de origine eorum Beneficiorum, quae vulgo* Feuda *vocantur.*

VITA

VITA *
IOANNIS OTTONIS TABORIS

ſcriptore
genero
IOANNE LVDOVICO PRASCHIO
Rei publicae Ratisbonenſis Exconſule & Curiae Tutelaris Praeſide

IOANNES OTTO TABOR, Iureconſultus, patriam ſortitus eſt *Budiſſinam*, caput *ſuperioris Luſatiae*, cui, vt eſt in Program-

* Edita ſub elogio: *Mauſolei V. Cl. Io. Ottonis Taboris, Ratisbonae, Litteris Pauli Dalnſteineri M. DC. LXXV.* 4. additis *Ioannis Alberti Portneri* a Theuren, Conſiliarii Imperialis Aulici, Auditoris Taboris; *Io. Iacobi Kerſcheri; Chriſtophori Arnoldi: Ioa. Iacobi vom Berg; Georgii Chriſtophori Hanſemanni; Io. Chriſtophori Wendleri; Ioannis Iacobi Fuchſii; Sebaſtiani Kirchmeieri; Georgii Henrici Vrſini; G. F. Fuchſii* in TABOREM Epitaphiis Carminicis & Emblematibus affabre & ſcite aeri inciſis, non addito tamen Auctoris nomine. Praemiſit eandem Narrationem AN-

mate,* Argentorati A. C. M. DC. LV. edito,

DREAS MYLIVS *Tractatibus Taborianis Lipsiae 1688. f.* iunctim editis. Effigiei TABORIS, quod cum Epitaphio habet exemplar Ratisbonense subiecti versiculi:

Hunc Argentinae pia Budissina Budaeum
Protulit & Iuri magna Patrona dedit:
Quicquid habet vetus atque recens ius numinis eius
Effigies huius mente serena nitet
Hos oculos & hanc faciem mens ista gubernat
Quae in se oculos rapit & docta tot ora mouet

I. G. D. D

Accessit huic Mausoleo, cultissima PRASCHII scriptio, quam *Charites* inscripsit, quaque TABOREM, *Praeceptorem* suum, *Socerum, Parentem* amoenissima ratione laudat. Panegyricus in Mortem Taboris a IOANNE SEBASTIANO GAMBSIO Argentoratense scriptus, praemissus *Taboricis Decisionibus & Consultationibus*, nil nisi laudes habet.

* IOANNES HENRICVS BOECLERVS in Elogio *Gregorii Biccii* ICti, more oratorum: *Patria quoque Budissina non eo magis, quod Lusatiae superiori caput daret, quam quod vno fere tempore tot illustria & omnem laudis humanae mensuram expletura germina emitteret, & in arce ac specula Germaniae Argentina collocaret, ad fastigium assurgere visa est.* Neque quic-

to, *cum Consultissimo D. D. Tabore alios quoque magnos viros debet Argentoratum.* Parentes coluit *Tobiam Taborem*, rationum in eadem *Lusatia* magistrum, nec non Iudicii Aulici a-ctuarium, & *Euam, Ioanne Ludouico*, mercatore inter primos, *Euaque Breuningia* satam. Auum, *Blasium Taborem*, Consulem dixit Hoiersuerda. Natalem egit III. Septembris, ab anno recuperatae salutis M.DC.IV. Schola, Senatoriam quam vocant, coetibus innutritus, Iuris etiam Candidatos, vt domesticos praeceptores (quam parentum curam atque impendia, satis se laudare posse negabat) ex Academiis accepit. In his fuere *Tobias Grundelerus*, *Caspar Schillerus*, non humillimi spiritus poëta, *Samuel Geislerus*, qui Illustrissimis *Malzaniis* in *Miliz* postmodo a secretis fuit: ex quo iam tum pusillus Libros Institutionum Iuris, lucido commentario expositos, audiuit. Aetatis anno tertio & decimo Orationes Graecas Latinasque, tam ligato, quam soluto conformauit sermone, recitauit ex memoria, Philosophiam quoque attigit, & disputatio-

 nes

quam fuit ad Cathedram capessendam Biccio auspicatius laetiusque quam quod ciues suos in eodem meritorum publicorum spatio decurrentes, Theologorum Chrysostomum Schmidium; Iureconsultorum Papinianum TABOREM Modestinus ipse admiraretur.

nes ausus est. Qua in re gratissimam operam ipsi praebuit institutio *Leonhardi Genselii*, quem Gymnasium primo *Budissinense*, dehinc *Ruthenum Gerae*, moderatorem sibi praefecit. Is puerum hebdomadariis exercitationibus acuit, & ad *Electa Scaligerea*, quae post demum ab Amplissimo Viro, *Christophoro Preibisio* IC. & Academiae Lipsiensis Antecessore publici iuris facta sunt, molienda hortatus est. Processere Francofurti, ex Officina Schleichiorum, sub nomine *Itabyrionis*, quo nomine *Tabor* mons Arabice signatur. Anno C. M. D. XIX. in nobile Gymnasium, quod *Halae Saxonum* patet, missus, *Sigismundo Euenio* Paedagogiarchae operam dedit: cui se adeo probauit, vt exemplar reliquis discipulis barbatisque tyronibus proponeretur. Optimis ergo auctum ominibus in Academiam *Lipsiacam* transtulit, aetatis anno circiter XVI. Philophiam ibi colere perrexit, annoque primo, primam eius Lauream, altero honores Magisterii inter primos tulit: & inter XLVIII. Competitores minimus aetate fuit. Candidatus Magisterii, dissertationem de *Homine* ab se conscriptam publice defensitauit. Tum in ipso Magisterii actu recitauit Poëma, quo prauitas monetae & nequitia aeruscatorum, sub titulo *Vacuum Mercurii*, perstringebatur. Vtque iam olim Candidatus Philosophiae, complurium disputationibus

iuuenum

iuuenum in publico praefuit: sic sub tempus illud, quo honoris insignia adeptus est, collocutioni solenni *de caussis Res publicas corrumpentibus*, praesidium suum commodauit. Aderant plerique Professores Artium, & chorago iuueni, cum totius caueae plausu, omne felicitatis genus precabantur. *Lipsiae*, Philosophicis studiis forensia iungens, publice *D. Ioannem Curtium* Institutiones, *D. Guilielmum Schmuccium* Pandectas, *D. Sigismundum Finckelthusium* Codicem Iustinianeum explanantes audiit. Priuatim sub *D Preibisio* Theses Institutionum *Lindemanni*, quaestiones *Cubachii* & alia huiusmodi, sub aliis, grata auscultandi & reponendi vice hausit. *Wittebergae* super lectiones publicas, a Consultissimi Viri *D. Crembergeri*, Digesta enarrantis, ore pependit. Sed aërem loci male ferens, vltra annum ibi moratus non est. *Ienae*, sub Praesidio Viri nominatissimi *D. Georgii Franzkii* Treutlerum disputando percurrit. Dehinc Paratitla Wesenbecii commilitonibus oratus enucleauit; monentibus cum maxime *D. Valentino Riemero*, & *D. Georgio Franzkio*, vt personam ducis & praesidis, annos licet non amplius vnde viginti natus, caperet. Qua occasione Ius vniuersum bipartito in tabellas contulit, & Ordini Iurisconsultorum recensendum obtulit, quod opus postea sub titulo *Fili Ariadnei* lucem est expertum. Quip-

pe parum ſe proficere ratus, ſi vulgi more in his ſecurius verſaretur, & dictatis tempus conſumeret, certiorem ſubinde viam atque ordinem diſciplinae Iuris cum M. Cicerone, deſiderabat. Et cum, moderante *Frantzkio*, Treutleri Poſitiones excuteret, nouiſſimo concertationis actu praeſes iuueni ſingulares egit gratias, quod ſolus ſaepe per tres horas, deficientibns aliis, partes aduerſarii ſuſtinuiſſet. Increbeſcente ea fama, hominum fauorem & deſideria mouit: praefectuſque ſtudiis *Georgii Poſeri* & *Martini Guilleri*, nobilium ex Sileſia iuuenum, horum in gratiam Iuris Inſtitutiones priſtina legendi & diſceptandi conſuetudine, alia item ad Ius pertinentia, cum delecta ſtudioſorum manu perluſtrauit. Ipſe vero morem atque ordinem tot inclytorum *Lipſiae* (nam huc remeauerat) Dicaſteriorum contemplatus, ſucceſſiuas horas diu ſtudio pragmatico tribuit. *Argentorati Guillero* erudiendo potiſſimam dependit operam; cuius rei fidem facit tyrocinium, ſub Praeſidio *D. Bitſchii* ab hoc editum, *de ſeruitutibus perſonalibus*. Cum eodem mox *Geneuam*, inde in *Galliam* (ex damnato poſtea ſeculi more) pergens, quo tempore Chriſtianiſſimus, vt vocant, Rex, *Rupella*, *Lutetiam* victor atque triumphator redibat, Tractatum *de Iure Armorum ad L. vn.*

C. vt

C. vt armorum vſus, proferenti alumno adfuit: quem & domum *Vratislauiam* vſque deduxit. Inter haec multis innotuit, multos noſcitauit, omnia abſque ſumtu parentum. An. M. D. XXIX. domum repetitus, ſtudio Iuriſconſulti celebris ſed in religionibus ambigui, *Reinhardi Bachouii* Aulae Imperatoriae commendari coepit. Origo facti & neceſſitudinis haec fuit. Scripſerat TABOR Commentarium *de ciuili poenitentia & mutatione voluntatis*: quod argumentum per omnes actus humanos, licitos atque illicitos, inter viuos pariter ac mortis cauſa, perque omnem Iuris ambitum, priuato ſtudio extenderat. Eum miſit *Heidelbergam*, vt *Bachouii*, acutiſſimi quippe viri, iudicium & conſilium experiretur. At ille neſcio quid magni de auctore concipiens, ac promens, & vtroque pollice preſſit ſcriptum, & oblatam amicitiae teſſeram auide amplexus eſt. Agnouit *Tabor* viri errorem, ſeque non niſi ſtudioſum Iuris eſſe, qui ſub tanto doctore proficere cupiat, ingenua confeſſione expoſuit: addito, ſe optare, vti propius illi haerere liceat. Delectatus homo reſponſantis candore, haud dubitauit intimos animi ſenſus ipſi recludere & fateri, id agere ſe, vt pedem ex illis locis referat: modo tutum ſibi receptaculum *Argentorati* pateat, & facultas obtingat priuata legum praelectione vitam tolerandi. In negotio Religionis

grauem futurum nemini, neque abhorrere a doctrina Lutherana: decretum absolutum quod vocatur, toto animo damnare: in S. Eucharistia corporis salutiferi praesentiam credere, modum ignorare. Ea res cum Academiae notuisset, omne *Bachouio* studium pollicita, gratum eius fore aduentum, per TABOREM renunciauit. Venit ergo, quo voluit *Bachouius*, cum vniuersa supellectile libraria, ibique perstitisset procul dubio, nisi aliae eum causae, quas referre abstinemus,* exegissent. Heidelbergam

* Aperuit easdem ipse REINERVS BACHOVIVS *Præfatione Commentarii Institutionum: Ibi vero* (Argentorati) *cum iam in portu me esse putarem, saeuior tempestas, & quae me paene mersit, excepit. Et quamuis enim in omnibus aliis & fere totius Europae Academiis, his qui fiduciam studiorum suorum habent, priuatim studiosis operam dare liceat: Professores tamen Iuris Argentinenses hoc mihi licere noluerint, sed (ut ne quid desiderari possint) submisse etiam hoc petenti, & fortunae nouercantis iniquitatem, quae me premebat exponenti, (indignantibus licet studiosis, qui opera mea priuatim vti volebant) interdixerunt.* Quem locum illustri Viro NICOLAO HIERONYMO GVNDLINGIO debeo, qui *Otiis* suis *Parte I. cap. V.* Vitam *Reineri Bachouii* eleganter accurateque exposuit p. 238.

bergam proinde retulit ſe vitaeque praeſidiis defectus, religionem omiſit. * Interea dum TABOR ſeſquiannum peregrinationi Gallicae indulſiſſet, non neglexit *Bachouium* redux viſere. Inuenit autem *Heidelbergae* morbo articulari implicitum, & conquerentem multa de praeteritis malis. Eius igitur commendatione poſtmodum Legatis Caeſaris innotuit: traductuſque ad Conſiliarium Imperii Aulicum, *Iuſtum Gebhardum*, extrahendis, ceu loquuntur, proceſſibus, conficiendiſque relationibus, animum exercuit; luſtrata ante *Sileſia*, *Bohemia*, *Morauia* atque *Auſtria*. Deſiderio tamen captus reuertendi ad ſuos, vſus eſt conſilio amicorum, & occaſione, quae commode ſe offerebat, accedere Italiam cogitantibus eximiae nobilitatis iuuenibus *Sebaldo* & *Alberto Saurma* in *Sadeuiz*: quorum prior Argentorati illigatus peſte interiit. Quamuis igitur eodem tempore inuitaretur ad praeluſtris herois filium, quem vt morum ſtudiorumque rector in Hiſpaniam perueheret; minore tamen prouincia antepoſita, iuuenes, quos dixi, primum *Ratisbonam*, vbi Concilium habebatur Electorum (anno id actum M. DC. XXXI. exin ad Conuentum Lipſienſem, viſendorum tot magnatum virorum-

* Compara omnino excitata *Otia* GVNDLINGIANA *p. 240. 244.*

rorumque praeſtantium, noc non cognoſcendi ſtatus publici gratia, duxit. Argentoratum inde contendit, Doctoriſque appellationem & honores, die X. Nouembris anni memorati, ſuſcepit. Ne vero ſolum titulum quaeſiſſe videretur, actum forenſem partim, partim prudentiam ciuilem, diſcipulis & ſibi tradidit. *Amatorium* quoque, hoc eſt de arte animos hominum conciliandi Libellos quinque effudit: quibus praeceptorum moralium, ciuilium & familiarium vſus demonſtratur. Italiam deinceps, cuius videndae miro ſtudio flagrabat, aggreſſurus fuit. Sed quoniam interibi, germanus eius vnicus *Tobias Tabor* I. V. Licentiatus & Aduocatus ordinarius, vita ceſſerat, expetiuerunt reditum eius Anno XXXII. orbi parentes. Diſputatione proinde celebri, *de officio Iudicis*, quam *Georgius Guolframus Noſtiz* Eques Luſatus, ex nobilitate praecipua, in congreſſu ſolenni ipſo praeſide ſuſtinuit Muſis Argyropeis vale dixit: quarum Gubernator primarius, *Hellerus* COS per *D. Froereiſenium* iam tum percunctabatur, an profeſſoriam cathedram deſideraret. Ceterum, domi peſtilitate furente, paulo poſt regreſſum, vtrumque parentem vnius hebdomadae ſpatio extulit. Acceſſere in cumulum bellicae calamitates: per quas non modo vtenſilium optima amiſit, ſed & breui quatuor aedes, haeredi-

tate

tate ad ſe tranſmiſſas, populatrice flamma * cinctas vidit, deflagrante etiam tota Bibliotheca, vna cum multis ſpeciminibus ac teſtimoniis induſtriae probitatiſque, & MSS. codicibus ac commentariis. Effecit tamen caritas patriae, vt pedem figeret, Praeſulibuſque & Ordinibus Prouincialibus, *ob raras ingenii dotes, coniunctas cum amabilitate morum & dexteritate actionum* (ipſorum verba reddo) Aduocati & Syndici munus deferentibus, quod *Adamus Thomas Lancenhardus* antea curauerat, obtemperaret. Quam quam multo veriſſimum ſolet eſſe, quod ipſe binis diſtichis enunciauit:

Maximus eſt nummi valor, in qua cuditur vrbe.
Diſparis a nummo conditionis homo eſt.
Saepe hic ignotum ſuſcepit Ariona delphin
Quem ſocii inter aquas interiſſe volunt.

Manſionis certus, coniugem ſibi ſociauit *Annam Eliſabetham*, *Tobiae Schoenlebii* Centurionis atque ciuis, & *Annae*, *Benedicti Richteri*, filiam virginem, *Budiſſinae* ad diem alterum & viceſimum Februarii A. C. M. DC. XII, ortam: quam matertera *Catharina Hartuigia*,

* Quod Anno M. DC.XXXIV. contigit, cum impio *Golzii* conſilio & iuſſu, urbs Luſatiæ princeps omnis conflagraret, vide V. C. SAMVELIS GROSSERI *Memorabilia Luſatiarum Parte III. p. 59.*

gia, adoptione asciuerat, heredemque ex asse scripserat. Huic cum Annos XXII. suauiter conuixisset, ante diem XV. Iunii A. C. M. DC. LV. pie defunctam *Argentorati* luxit. At vrbe patria in cineres collapsa, & gliscente belli discrimine TABOREM iterum respexit Numen: dieque a fatali incendio octaua, aliis in fauilla considentibus, eruit inopinantem, & accersiuit *Argentoratum* in locum *Ioachimi Clutenii*, notissimi Iureconsulti. Quem licet aegre dimitterent Prouinciales Ordines Circuli *Budissinensis* & Ecclesiae Capitulum, amplissimis tamen testimoniis, literisque commendatiis ad inuidiam vsque ornatum Lyceo Argentoratensi tradiderunt. Petitionis caussas Rector Academiae, *D. Melchior Sebizius* Archiater & Professor P. in Programmate A. S. M. DC. XXXIV. a. d. XXX. Quintilis posito, hunc in modum explicauit: *Elucebant* inquit *in isto viro omnia requisita quae doctoris boni esse iudicantur: vitae sanctimonia, morum amabilitas, ingenii excellentia, eruditionis eminentia, iudicii dexteritas, laboris amor, in docendo perspicuitas & facilitas, in communicando fidelitas, in interpretando felicitas, in faciendo officio assiduitas:* & quae sunt eiusmodi. His stimulatus, Academiae commodis laudibusque bona fide se intendit. Nec multo post oblata ipsi Iuris Professio primaria, quae alioqui clarissimorum senio-

ſeniorumque Iureconſultorum praemium eſt. Et in Iudicio Camerae Caeſareo delegato, quod ibidem exercetur, Conſiliarii (Referentem appellant) partes annis XIII. egit. Quos in Academia deinceps honores geſſerit *M. Sebitius* in Onomaſtico Profeſſorum Argentoratenſium conſignauit. His rebus fama Viri in tantum ſe diffudit, vt certatim a Principibus Ordinibuſque Imperii ambiri coeptus ſit. Oblata Syndici, Conſiliarii, Cancellarii munia: vti literae autographae, quae manent, docent. Prouincias enumeraremus plus tres & vicenas, quas obtinere, ſi voluiſſet, potuiſſet; niſi taedium lectoris, vel inuidiam metueremus. Multae ipſum Academiae, Catholicae etiam, Reformataeque optauerunt. Ad Imperialem quoque Cameram inuitatus, renuit. Donec Sereniſſimo Principe *Megapolitano*, *Guſtauo Adolpho*, regimen Cancellariae & ſecreta conſilia expoſcente, paruit, viamque menſe Februario A. C. M. DC. LVI. ingreſſus eſt; deflentibus abitum eius praeter ceteros per carmina, magnificarum laudum titulorumque plena, Viris egregiis, *Balthaſare Scheidio* Theologiae Doctore Linguarumque Orientalium Profeſſore, & *Ioanne Sebaſtiano Gambſio* D. Iuris & Profeſſore Inſtitutionum Imperialium in Parnaſſo Argentoratenſi. Quo libentius Dei nutum in opere tam arduo & ancipiti ſeque-

ſequeretur, fecit reſtituta pax, erepta coniux, & hinc innatum loci taedium, tum cauſae aliae, quae inſectari ſolent magnas virtutes. *Guſtrouii*, quantam opinionem* obtinuerit, indicio eſt Poema, quod honori ipſius conſecrauit ediditque M. *Chriſtianus Andreae*, cum felici anagrammate.

NITOR ET DOS IN TOTO ORBE NOTA ex verbis, IOANNES OTTO TABOR DIRECTOR. Vbi etiam hic loci a Marte periculum eſſe coepit, ordinatis ex ſententia Principali rebus, rurſus ad Artium penetralia confugit. Tunc quoque ſatis luculentae conditiones ipſum pellexerunt: ſed in gremio Muſarum praeoptauit conſeneſcere. *Guſtrouio* abſcendentem proſecuta eſt Meclenburgenſium natio carmine & anagrammate:

AH CVR IS ALIO? TVN' TOTO NOTVS ES ORBE? Nec minus Natio excelſe Germanica Roſtochienſis voluntatem ſuam miſſo Propemptico declarauit. Prius tamen quam literato otio ſe redderet, *Aulam Electoris Saxonici*, dein *Caeſaris Palatium* adire iuſſus eſt, veterique domino ſecreta mancipare conſilia. Paruit hic quoque Optimo Principi, in eaque velut peregrinatione maxima cum voluptate incidit

* Confer tamen & *Conringiana* verba & *Thomaſianam* Relationem infra p.

cidit paſſim in diſcipulos, amplis honoribus florentes, & officii accepti inſigniter memores. Quo in numero laudare non deſtitit prolixam comitatem Ratisbonenſium. Epiſtolis quin etiam non pauci Conſiliarii, Syndici, plurimae denique dignationis viri, Doctoris merita recoluerunt. Ex quo apparet, non Vacunae ipſum litauiſſe ſed Strenuae. Hinc tot eius Scripta, quorum partem publici, vel potius communis Iuris fecit, partem aliquot comprehenſam voluminibus curae filii tranſſcripſit. Legationibus, quas memoraui, exantlatis A. D. M. DC. LIX. *Gieſſam* intrauit: vbi a ſtudioſa iuuentute permagno gaudio plauſuque poetico & muſico exceptus eſt, ac viciſſim perhumane eam excepit. Nec illa vtique ſparta exceſſiſſet, licet Numini viſum fuerit ſobolem eius alio transferre, ex quo neceſſe habuit, peregrinae familiae ſe credere; niſi certae rurſus cauſſae * coegiſſent loci mutationem. Dimiſ-

Z ſus

* Has vellem indicaſſet candide Gener PRASCHIVS vti quidem veritas hiſtoriaeque lex poſcit. Hac de mutatione ſequentia aperit ſummus Vir CHRISTIANVS THOMASIVS *Paulo pleniori Hiſtoria Iuris Naturalis Append. II. p. 205. Memini me audiuiſſe in Iuuentute, quod Tabor circa annum 1660. vel paulo ante ex Academia Argentoratenſi in Aulam Darmſtadien-*

ſus ergo placide menſe Octobri, anni ſupra milleſimum LXVII. ad filium *Francofurti* agentem ſe recepit, quaſi ad tranquillum feſſae ſenectutis portum. Quo loco

---

ſem vocatus fuerit, vt inter Conſiliarios non ſolum Iuſtitiae, ſed & intimioris admiſſionis vota ferret. Sed hunc honorem non diu duraſſe. Cum enim ſubditi Haſſiaci conqueſti eſſent de damno aliquo a vicino quodam Imperii Statu ipſis dato, & in conſilio deliberandum eſſet, qua via breuiſſime & ſubditis & intereſſe Principali conſuleretur, Conſiliariorum vero vnus hoc, alter aliud medium propoſuiſſet; TABOR *cum ordo votandi ad eum perueniſſet, fertur, multis verborum ambagibus dixiſſe, ſe mirari, quod Collega tanquam de re dubia deliberarent, & conſilia plane illegalia afferrent, cum tamen diua Iurisprudentia Iuſtinianea iamdudum litem omnem ſuſtulerit, ſecundum quam videlicet inſtituenda ſit vel in Camera, vel in Iudicio Aulico, nulla alia Actio quam Legis Aquiliae eumque in finem non ſolum multos textus Iuris Ciuilis ſed & Iuriſconſultos nouiores illum allegaſſe. Cum vero Princeps in hac deliberatione praeſens nauſeam non leuem ex hoc voto Taboris ſuſciperet & reliqui Conſiliarii Leguleiiſmi Taboriani iam diu impatientes, gauderent, ſe occaſionem nactos eſſe, Principem in illa nauſea confirmandi, dicitur, illud medium excogitatum eſſe, vt Tabor bona cum pace iterum ex Aula dimittere-*

loco piis obseruatum est, cum in templo S. Catharinae eo tempore sacrum epulum dispensari inciperet, primum illum fuisse tanti muneris participem. Ceterum cum ibi quoque sua spe diutius viueret, varios sustinuit labores, varias aduersitates. Ex laudata Coniuge liberos suscepit omnino tres: quorum in ordine Filius *Tobias Otto* post expugnationem atque incendium memorabile vrbis *Budissinorum*, Camentii in Lusatia superiore, A. C. M. DC. XXXIV. ad d. XXIII. Sextilis, in hanc lucem editus, & a Senatu Vrbico, per Syndicum, *Casparem Trojum*, necnon a pernobili vidua, *Anna Lottizia* ex sacro fonte leuatus est. Hic, vt peregrinationibus exactis, *Basileae*

tur & in Academia Giessensi retento Titulo Consiliarii Principalis, Cancellariatus & Professionis in Iure primariae dignitate fungeretur. Atque ista Relatio vel ex eo mihi semper visa fuit verosimilis, quod valde illustret controuersiam Taboris cum Conringio, & in ipso Taboris exemplo confirmet sententiam Conringii, Iuris peritos non semper esse prudentes. Ex ore autem magnae dignationis Viri audiui, Tabori haec in *Aula Gustrouiensi* contigisse, in qua, si fidem Generi hac narratione sequimur, consiliis tantum fuit adhibitus. De *Darmstadiensi* Curiali munere autem plane tacet PRASCHIVS rerum Taboricarum optime narus.

gradum aſcendit Doctorum, *Francofurti ad Moenum* vxorius conſedit, cauſiſque frequens aduocari coepit. Maritae nomen eſt *Suſannae Vrſulae*, *Ioannis Feſteri*, ciuis atque mercatoris & *Annae Catharinae Zangiae* toto natae: quam in matrimonio prius habuit *Daniel Brunus* I. V. L. & Senator Ampliſſimus; matronam certe virtuti ſimillimam, ac phoenicem ſui ſeculi. Ex illis geniti *Ioannes Daniel*, *Suſanna Eliſabetha*, *Ioan. Benedictus*, *Philippus Iacobus*, *Tobias Otto*, & alia *Suſanna Eliſabetha*. Verum omnes, praeter *Ioannem Benedictum*, cui nunc ſtirps *Taborica* omnisque ſpes incumbit, & *Suſannam Eliſabetham* alteram, mors occupauit. Nam & genitor nuperrime, (vt erat feſſus valetudinibus) & cum eo ſpes paternorum operum, quae nondum vulgata ſuperius dixi, expirauit. * A. C. M. DC. XLI. a. d. XXIIX. Maii nata eſt TABORI noſtro, apud Argentoratenſes filia maior *Anna Eliſabetha*, ** ac renata Cal.

* Extat in hunc TABOREM Filium, Elegia *Ioan. Ludouici Praſchii* auctoris huius enarrationis ſubiecta editioni Ratiſbonenſi *Mauſolei Taboriani.*

** Elegantiſſimi ingenii & cultioris doctrinae femina, quam declarauit libello gallico idiomate exarato Maritoque ſuo inſcripto: *Reflexions ſur les Romans par Madame S. E. P.*

Cal. Iuniis in Templo S. Thomae. Nupſit haec *Ioanni Ludouico P[illegible]ſchio* Rei publicae Ratisbonenſis Ex-Conſuli & Praeſidi Curiae Tutelaris A. O. R. M. DC. LXIII. die Iouis IX. Iul. in vrbe *Gieſſa* : ex quo peperit auo nepotem vnicum, *Ioannem Ottonem Praſchium*, a. d. XX. Iun. Anno M. DC. LXIX. cui & ipſe patrinus aſſumptus eſt. Sed poſt paullo a. d. XVIII. Aug. mortalitatis legem expleuit. Minorem gnatam dedit DEVS A. C. M. DC. XLIII. ad d. XX. April. aqua luſtrica tinctam tertio poſt die, & *Euae Catharinae* vocabulo inſignem. Recepit hanc in matrimonium *Auguſtae Treboccorum* Vir & Medicus ſpectatiſſimus *Ioannes Adamus Beza, Ioannis Friderici*, nobilis item Medici progenies. Incidere nuptiae in A. C. M. DC. LXIV. & lucem primam Martii. Ab his defluxere, *Maria Eliſabetha*, *Eua Cathari-*

Ratisbonae 1684. 12. quo, in recentiores *Fabularum Romanenſium* ſcriptores eleganter cenſuram exercuit, ſuo ſexui, nimium iſti vanitati ſeruienti, conſultura. Recenſetur Libellus *Actis Eruditorum Lipſienſium Anni M DC. LXXXIV. p. 413.* Adde CHRISTIANVM IVNCKERVM *Centuria Foeminarum eruditione & ſcriptis illuſtrium*, de *Diariis Eruditorum* Schediaſmati adiecta *p. 60. 61.* V. C. GOTHOFREDVM VOCKERODT Commentatione de *Eruditorum Societatibus Parte II. Cap. II. p. 101. 102.*

tharina, filius exanimus, *Maria Salome* filia sine vita, gemellae *Maria Barbara* & *Margaretha* alteraque *Margaretha*. Omnes hi partus, si duas exemeris filiolas, magnae matris gremio sunt redditi. Parens ipse praematuro nuper excessu (non enim nisi quatuor & triginta annos impleuerat) ciuitatis non minus, quam infelicissimae coniugis luctum accendit. De quo plura in Programmate, a Rectore Lycei, *Iulio Reichelto* Mathematico a. d. XVII. Febr. anni huius LXXV. perscripto. Quod ad *Religionem* nostri pertinet, iam pridem D. *Dannhauerus*, in Praefatione Partis secundae Lactis Catechetici, Nobilissimis *Brocdorffiis* dicatae, publicum hoc testimonium dedit, *cum non Professorem modo celebrem, sed & Consultum Iuris Christianum exemplo fuisse studiosis, quo pietatem virtutemque capesserent*. Idemque Theologus cum A. C. M. DC. LIII. Rector Academiae renunciaretur TABOR, hanc programmate laudem ipsi tribuit: *quod in superioribus eiusdem Rectoratus gesti muneribus effecerit, & nunc quoque effecturus sit, ut neminem piguerit, ac pigere possit, sub tanti Viri religiosa, zelosa, ac prudenti oeconomiae publicae moderatione vixisse, & halitus bonae spei ominosos inque publicum fructuosos hausisse*. Similis formae testimonia ab aliis quoque insignibus Theologis, imo ab amicis, iuxta ac inimicis, tulit *. Quae,

* Heic, nisi amor Generum retinuisset,

Quae, licet modica, Vitae eius tradendae
Z 4 poste-

post Elogia Viri, quæ cumulare nolo, etiam Vitia indicanda, inprimis vero mentio facienda, grauissimae concertationis, quam cum HERMANNO CONRINGIO summo Viro, de vsu potissimum Iuris Iustinianei in publicis Imperii Romano-Germanici caussis, mixtura Iuris publici Germanici male a ICtis cum doctrina Politica facta, & distinctione in Iurisperitum & Iuris prudentem, exercuit, quae & CONRINGII, potissimum tamen TABORIS recessus animi patefecit, docuitque fastum & impotentiam animi *Taboris*. Dabo Historiam certaminis, Conringii verbis *Conringianis Epistolicis* V. C. CHRISTOPHORI HENRICI RITMEIERI cura, noua auctiorique editione editis *p. 147. De illa, quæ me inter & Taborem vertitur lite, ita habe, quoniam intelligo Historiam eius te desiderare. Cum ante annos viginti* (1635) *Præfatione illa, quam libello Taciti de Moribus Germanorum praemisi, inter alia prolixe ostendissem Ius Publicum Imperii Germanici, non ex Iustinianeo Iuris Corpore petendum esse, neque illas Iustinianeas Leges ulterius obligare quam sint receptae liberrimo arbitratu:* TABOR *edito Commentario de Metatis & Epidemeticis* (Cap. V. p. 4. p. 19. *Edit.* Tractatuum TABORIS Mylianae) *ante hos decem circiter annos* (1645) *Serenissimo Principi Augusto consecrato, non tantum mea illa disputata multis*

posteris sufficient. Nam & vltimis manda-
tis,

conuitiis insectatus est, sed etiam non obscure apud Principem me detulit, tanquam Iuris artem imo ipsam Iustitiam & aequitatem impugnauerim. Respondi homini vna & altera plagula, annexa iteratae editioni Libri mei de Origine Iuris Germanici: conquestus de calumniis praecipue & provocans hominem, vt seriis argumentis, non conuitiis & mendaciis, sententiam meam falsi conuincat. Ille vero argumento nullo producto, ad solitas artes delapsus, grauissimis denuo conuitiis & calumniis me petit in Racemationibus suis Criminalibus (p. 199. Edit. Tractatuum Mylianae) *Ego purgandae famae* (1652) *reposui haud pauca in Praefatione ad Lectorem iteratae Editionis Taciti de Moribus Germanorum. Inter alia vero disputaui nonnulla de liberrima testamenti factione, quam ille naturalis Iuris esse, me oppugnans asseruerat: simulque hominem monui, vt daret operam verae Iurisprudentiae, hoc est illi, quae simul nouit, num leges quae obtinent vtiles sint an noxiae Rei publicae: hanc enim in illo me desiderare. Huic opposuit mox Tabor longum Programma Academicum adeo maledicum, adeo foetidum vt:*

Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

Sic ego denuo coactus morum innocentiam ab improbissimis calumniis defendere, apologiam aliquam addidi (1654) *Operi de finibus Imperii*

tis, quae sua manu scripta reliquit, conti-

Germanici: verae autem Iurisprudentiae quam ille magnis clamoribus insectatus est, Specimen dedi (1654) in Dissertatione ad L. I. Codicis Theodosiani de studiis liberalibus Vrbis Romae & Constantinopolis, nunc vero de eadem latius quoque disserui (1656) in Prooemio ad opus Ioachimi Hopperi de vera Iurisprudentia; quod hac hebdomade, nisi fallor, prodibit in lucem. Haec fere est summa meae cum Tabore contentionis: quae tota fere constat ex Taboricis calumniis & mea illarum depulsione. Vt rationibus pugnaret, sepositis conuitiis adduci homo non potuit, ne quidem a Senatu Argentoratensi grauiter increpitus. Quid in posterum futurum sit, docebit dies: ego ab homine animi impotentissimi nihil benignum expecto. Paucisque interiectis: *Saeuit ille atrocissime non in doctrinam duntaxat meam, sed in omne honestum nomen & boni viri existimationem idque publice in libris & chartis passim terrarum sparsis. Tantam iniuriam quisquamne prudens dissimulauerit, aut tacite concoxerit? an quis ferat se publice accusari Atheismi, Stellionatus, infestatae iustitiae & ad omnia vitia conniuentiae? qui tacet, consentire videtur ait ille. Si tacuissem annon visus fuissem agnoscere? at in publico haec fieri indecens est. Criminari sane & calumniari indecens est, praesertim in publico: acriter vero refellere calumnias, non item, sed pium & iustum. Si ab-*

netur hoc, quod ab exequiis suis nimiam pom-

stinuisset publico TABOR, *& nonnisi illa abs me de Iuris Publici Iustinianei autoritate disserta petiisset, putasne silentium mihi fuisse? Ego sane secus sentio. Ad illos errores itaque non profecto est conniuendum, non silendum, non iis certe, quorum in officio est docere rectiora probe perspecta. Profligaueram ego illos in Prooemio ad Tacitum idque quam fieri licuit modestissime. Mordere me statim Leguleii & obtrectari violatae Iurisprudentiae nomine, sed clanculum omnes. Vbi* TABOR *publice me esset adortus & receptos errores defendisset, mirum quanto cum applausu illorum Legulejorum sit exceptus. Aut deserenda itaque veritas & bona causa & Rei publicae vtilitas mihi fuit, aut* TABOR *refutandus. Prius cum esset nefas, egi posterius. Et quidem ita egi, vt nemo Legulejorum ausit hiscere. Tam graues & perniciosi errores dissimulando, silendo & obsequendo non tolluntur: & tamen interest publice tolli atque eradicari.* Et *p. 153.* TABORIS *res omnis atque existimatio denique intra angustos redacta est Cancellos, quos ille augustos hactenus affectauerat. Ridetur a prudentibus quibusque Leguleii supercilium cum summa ineptitudine Rei publicae regendae coniunctum. Redeundum homini est ad Scholam, relicta Aula, saltim vt existimationi eius nonnihil consulatur.* Ἰὼ Παιάν! *Cum incidissent in manus excerpta quaedam ex nescio qua Dispu-*

pompam atque carmina remouit, ac de se pauca

---

tatione eius de Cereuisiis, quibus & Hopperum & me momordit, ego vicissim hominem excepi (1656) *prout inscitia ipsius postulabat in solemni illa in Hopperi Opus Praefatione. Certum enim mihi est non pati, vt inscitia Leguleiorum, quamuis maxime superciliosa & turgida fastu, efflorescentis Ciuilis Philosophiae studiis quidquam adferat detrimenti. Eoque rem & mihi gratam & publico vtilem fecerit Boeclerus, si curauerit vltimos, quos in me euomuit homo ille thesium libellos. Vidi vero & Rebhanii cauillationes in librum de Origine Iuris Germanici, simul vero incidit illud Martialis:*

Rustica sum perdix, quid mirum si sapor idem.

Proxima tertia Libri mei editione faxo, vt digne vapulet Taboricus illius etiam hominis stupor, idque quod videam publico idem ὁμόψηφον virum eximium HENRICVM ERNSTIVM *aduersus Taboricas ineptias. Etsi enim sint nonnisi stupidae ineptiae, serpsit tamen earum virus per omnes fere legulejos & quasi pestilente sidere eos afflauit, non sine graui reipublicae damno.* Haec CONRINGIVS. Multo tamen accuratior & copiosior in enarranda huius memorabilis sane controuersiae Historia est illustris Viri summorumque meritorum CHRISTIANVS THOMASIVS praeclara *Paulo pleniori Iuris Naturalis Historia Append. II, p. 198. 199. seqq.* cuius verba nisi Liber vtilissimus in omnium manibus esset,

pauca ſcribi edique voluit. Potiſſimum animi ſui votum tali diſticho expreſſit:

Hoc vnum te, Chriſte, rogo, nec plura deinceps:
Da mihi tranquille, da ſine morte mori.

Compos huius muneris factus eſt a. d. XII. Decembris anno ſuperiore M. DC. LXXIV. cum

---

vel omnino eſſe deberet, Tibi darem. Certe CONRINGIVS bonam defendit cauſam, ſalſis tamen ſui dicteriis, additis quibusdam perſonam TABORIS tangentibus irritauit magis magisque Virum in Iure Ciuili Iuſtinianeo forique vſu verſatiſſimum. Hunc enim in ſcriptis iſtis eriſticis paſſim vt *ambitioſum Virum* & quidem *vt ſtulte ambitioſum* deſcripſit. Enim vero TABOR cum cauſſam iuſtis argumentis tueri non poſſet impotentia animi abreptus *Racem. Crim. p. 379. Edit. Argent.* Scripta CONRINGII in hac cauſſa vocat *famoſos & atroces libellos*: eundem: *inauditae procaciae contra omnes Chriſtianiſmi Regulas commiſſae*, accuſat. Conteſtatur, ſe non magis in dedicatione ad Auguſtum Ducem Brunſuicenſem de CONRINGIO (qui paruae erat Staturae) cogitaſſe, quam *de ludione Argentoratenſi, an das kleine krumme Geigerlein zu Straſburg.* Adde *p. 314. 442. 544. dictar. Racemat.* His multa repoſuit CONRINGIVS, quae de *Origine Iuris Germ. Libro, Edit. III. 1665. p. 273.* ſubiecta ſunt, cumque de TABORE acre Iudicium tuliſſet: *Eum ſane ſic ſatis doctum leguleium,*

cum variis antea morbis, aſthmate, podagra, vitio ſplenis, calculo, poſtremo ſenectute eſſet conflictatus. Hunc exitum habuit Vir haud dubie acerrimus: quem *Brunnemannus* Comm. *C. de Suffrag.* appellat *Lumen Seculi*, Clariſſimus *Boeclerus*: *Iureconſultorum Papinianum. Dietherus* vero in *Addit. ad Theſaurum Beſoldi* non minores ipſi lau-

---

& lati iuris peritum ſeſe oſtendere, prudentem ſiue lati, ſiue ferendi iuris, perquam raro; hic propoſito a. 1653. 12. Sept. Programmate *de Teſtamentis* in traducendo Conringio totus fuit, *non quidem prout ſueuerat alias, ſed plane enormem in modum, iis calumniis, quas ne a ſcurra quidem aliquo, aut homine nequam, vel ſceleſtiſſimo nebulone ſe expectaſſe dicit* CONRINGIVS, l. c. *p. 310. quia non ſalſis dicteriis eum exceperit, ſed in corporis Staturam, in doctrinam, in vitam & mores eius infami more inuectus fuerit, ac in fine Programmatis annunciauerit, ſequenti die Candidatorum aliquem inquiſiturum eſſe: An probabilis ſit nouatorum diſtinctio inter Iuriſperitum & Iurisprudentem? Denique in ipſa Panegyri tum a Tabore, tum ab aliis Nouatoris, Stellionis & aliis conuitiis maculatus fuit.* Sed iam ſatis eſt Lector! Ex his quae allata ſunt, de ingenio moribusque TABORIS iam poteſt fieri iudicium. Plura qui deſiderat finemque Controuerſiae, legat *Thomaſianam Hiſtoriam*, fidam illam & a partium ſtudio remotam.

laudes congerit: aliique passim testem citant, passim honorant. Quid de Epistola V. Cl. *Henrici Ernstii* dicam, scripta *Sorae* a. d. XII. Febr. M. DC. LIII? qua *eximium ICtum, virum summum, & de publico bono optime meritum* inter alia exquisita, nominat, eiusque amicitiam appetit. Et nunc prudentissimum quenque iactantem audias, quod *Romae L. Bruti* Statuae subscriptum est: VTINAM VIVERES? Quodsi tantas virtutes aliquo *Vitiorum confinio* laesit, si in Vita nonnunquam vel doctrina offendit, aut iustam caussam * paullo acrius defendit, exemplo docuit illustri, nihil in humanis rebus perfectum, aut superbiae concessum esse: quo maneat

SOLI DEO GLORIA.

SCRIPTA
IOANNIS OTTONIS TABORIS.

TRACTATVS, antea singulatim editos, in

* Controuersiam cum Conringio hic intelligit, quem amor Generi, Viri alioquin boni & docti *iustam* vocat. Ipse tamen quam diuersa de hac inter Conringium & Taborem agitata caussa sapiat Libello *de vero & personato ICto* 1664. edito, qui plenus bonae est frugis, luculenter commonstrauit.

in quibus *varia & difficilima difficilima Iuris Themata, ex Iure Publico & Priuato, Feudali & Canonico, explicantur & ad vsum fori subinde accommodantur* iunctim *cura & opera* ANDREAE MYLII * ICti & Professoris Lipsiensis *duobus Voluminibus* editi, *Lipsiae apud Ioannem Fridericum Gleditschium 1688. f.* indicibus locupletissimis tum textuum, tum rerum & verborum per *Matthaeum Blechium* Luneburgensem confectis, additis. Recensentur in *Actis Eruditorum Lips. Lat. Anno. 1688. p. 291.*

* Praefatione more solito, singulariter laudat Taborica Scripta Editor, seque cum praestantia tum raritate quorundam ad collectionem excitatum fuisse, scribit, ordinemque non adeo iustum collectorum excusat, cum successiue saltim diuersisque e locis adferri potuerint, tandemque subiungit: *Sed & omnes, aut certe plurimos, quos Dominus Auctor vnquam edidit, hic inueniri spero. Non equidem diffiteor in perlustratione horum alios atque alios quos hic adiectos non reperies, me allegatos obseruasse; attamen re cum iis, qui Scholas eius quondam frequentarunt communicata, nunquam tales lucem vidisse, non semel per literas accepi. Cui rei tanto magis fides habenda, quo certius constat Dominum Ioannem Ludouicum*

uicum Praschium Reipublicae Ratisbonensis Exconsulem & Curiae Tutelaris Praesidem, Virum de literis praeclare meritum & Dn. Auctoris Generum, in Mausoleo eidem Anno 1675. posito & huic Praefationi subiecto, satis testari: Per mortem filii Dn. Tobiae Ottonis Iurium Doctoris & apud Francofurtenses causarum Patroni celeberrimi, spem paternorum operum nondum vulgatorum, expirasse. *Hoc amplius, nec eas Dissertationes, quae interdum a Respondentibus compositae, inueniuntur, praetermisi. Nam & thematum raritas, & quia multum laboris Dn. Praesidem saepe numero attulisse, ex accurata methodo, & styli elegantia non difficulter colligitur, hanc necessitatem mihi facile imperare potuit.*

Volumine I
continentur:

dae 8. C. de Pactis a *p. 127.* vſque *151.* alias *Argentorati 1646. 4.*

Expoſitio Paratitlaris *L. vn. C. de Suffragio*, in qua praecipue agitur de *Suffragatorum Opera & Remuneratione*, vulgo dicta *Affection-Geld* a *p. 152. 186.*

Tractatus *de Obligatione Succeſſorum in officiis occaſione Analyſeos L. 21. C. de Decurionibus* delineatus a *p. 186.* adiunctum Examen Quaeſtionis: *An mutuum ſit alienatio?* a *p. 211.* ad *p. 246.*

Conſultatio Academica *de Praeſidiis debitorum infelicium: & in primis de exceptione Alterius Tanti Vſurarii ad* L. 27. §. 1. C. *de Vſuris, ac textus parallelos accommodata & Exercitationibus ventilata* a *p. 247.* vſque *p. 398.* ſeparatim excuſus *Argentorati 1646. 1652. 4.* & *Gieſſae 1686. 4.*

Armamentarium Iuſtiniani ſ. *Vniuerſum Ius Armorum ex ipſis Iuriſprudentiae Iuſtinianeae penetralibus depromptum & vſui praeſentis Seculi accommodatum expoſitumque* a p. *398.* vſque *p. 548.* prodiit alias *Argentorati 1654. 4.*

Diſſertationes Academicae de *Regimine Imperantium Eccleſiaſtico* Praelectionibus in Codicem Synthetico-Analyticis praemiſſae a *p. 548.* vſque *p. 575.* ſeparatim *Argentorati 1657. 4.*

Tractatio Analytico-Synthetica *L. XIX. C. de Teſtament. De Teſtamento Principi aut Comiti oblato* a *p. 575.* vſque *602.* alias *Argentorati*

torati 1658. 4.

Commentatio Synoptica *de Iure Cereuisiario* a *p.* 603. ad *p.* 645. singulatim *Argentorati* 1663. 4.

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ *De Ad modiatioue* ad *L. Si olei* 21. Cod. Locat a *p.* 646. ad *p.* 665.

Diatriba *De Iure Obstagii* a *p.* 665. *ad p.* 692. & singulatim *Argentorati* 1668. 4.

Specimen Iurisprudentiae Analyticae ad intellectum *L.* 3. *C. de hered. instit. & quae personae heredes institui non possunt* a *p.* 693. ad *p.* 701.

Progymnasmata *de Officio Iudicis e Iure Ciuili, Canonico, Camerali & Saxonico decerpta* a *p.* 701. ad *p.* 739.

Collationis *Iuris Romani & Hungarici prima Iuris Principia* a *p.* 739. ad *p.* 776. singillatim *Argentorati* 1651. 4. *Giessae* 1666. 4.

Specimen *Collationis Iuris Romani & Francofurtici* a *p.* 776. ad *p.* 789.

Paratitla ad *Tit. Digestorum de Pactis Dotalibus subiecta omnium legum dispositione* a *p.* 791. ad *p.* 835.

Commentatio Synoptica *de Substitutionibus Responsis Practicis illustrata*, a *p.* 835. ad *p.* 890. alias *Giessae* 1672. 4.

Dissertatio *de Pacto Retrouenditionis des Wiederkauffs* L. 2. C. de Pact. inter Empt. & Vend. Theoriam & Praxin exhibens a *p.* 891. ad *p.* 898.

Dissertatio de *in Litem Iurando* a *p.* 898. a *p.* 915.

Para-

Volumine II.

His accessere alii diuersi Tractatus qui sero in manus Editoris venerunt:

Dissertatio *De Constitutione, Repetitione & Priuilegio Dotis* a *p. 545.* ad *p. 560.*

Epitome Aureae Bullae Methodica cum abstersione Macularum SacroSancto Corpori nuper imputatarum a *p. 560.* ad *p. 581.* qua tantum Pars I. vsque ad Titulum XXIII. ab auditore, consentiente tamen auctore edita; post mortem vero & Pars altera a Titulo XXIV. ad Tit. XXX. *Ienae 1690. 4.* prodiit. Optime de hac Epitome iudicat illustris & generosus Vir IOANNES PETRVS a LVDEVVIG elegantissima Praefatione *Partis Secundae Commentariorum in Auream Bullam p. 11. 12.*

Exercitium Iuridicum *de Refutatione Feudi* a *p. 582.* ad *p. 594.*

Ichnographia *Doctrinae Feudalis*, methodo quali hodie in Scholis tradi & tractari solet ex Antonio aliisque delineata a *p. 594.* ad *p. 611.* alias *Giessae 1666. 4.*

Disputationes Wesenbecianae siue Selectae Iuris Quaestiones ad faciliorem *Paratitlorum Wesenbecii* intellectum directae, a *p. 612.* ad *fin.*

Singulatim prodiere & hacce Collectione non comprehenduntur:

Pa

Partitiones Elementariae Iuris prudentiae Methodicae *Francofurti 1660. 8.*

Relationes Argentoratenses in supremo Rei publicae Argentoratensis Dicasterio Caesarea auctoritate confirmatae, lectae, approbatae atque Decisionibus grauissimis corroboratae collectae opera & studio *Nicolai Thileni.* I. V. L. *Ienae 1670. 4.* & *Francofurti 1675. f.*

Decisiones atque Consultationes de variis selectisque Iuris Publici, Feudalis ac Priuati argumentis, opera ac cura *Ioa. Conradi Sondershausen V. I. D.* Summariis & Indice locupletissimo instructae *Francofurti ad Moenum,* sumptibus *Friderici Knochii 1702. f.* praemissus est *Ioannis Sebastiani Gambsii Argentoratensis* Panegyricus in TABOREM.

Sic quoque:

AVGVSTINI BARBOSAE *Thesaurum locorum communium Iurisprudentiae* auxit, editum *Argentorati 1657. 4.* inde cura Filii TOBIAE OTTONIS TABORIS *Francofurti 1670. f.* nuper magna ex parte auctior factus ab *Andrea Christophoro Roesenero,* Quinta Editione prodiit, *Lipsiae 1719. f.*

Friderici Husani, Hippolyti Bonacossae & *Ioannis Eucharii Erhardi* Tractatibus *de Seruis,*

Hominibus propriis & famulis Praefationem praemisit, qui editi sunt *Giessae* sumptibus *Hermanni Velsteini 1663. 8.*

Diatribam de Pactis *Giessae 1664. 4.* editam; De *Admodiatione* Dissertationem; aliamque de *Clausula Codicillari*, quas quidam excitant, non vidi, id autem apud MORHOFIVM *Polyhistoris Tomo III. Lib. IV. Sect. VII. §. III.* legi:

Commentarios TABORIS *perpetuos in Leges singulas π.* inter Haeredum manus latuisse, quorsum autem post mortem Filii TOBIAE OTTONIS peruenerint, quaue ratione elaborati digestique fuerint, cum ignarissimis scio.

INDEX

INDEX

Nominum celebrium & Rerum.

Lit. n. addita Notulas significat.

cc

in

Diale-

INDEX.

Ludo-

INDEX.

Mors

Pacis

Reuterus

Van

S. D. G.